EMENDATIONES

IN

CORNELII TACITI LIBROS.

QUA SCRIPTIONE

SOLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO NORIMBERGENSI

DIE VIII. MENS. AUG.

RITE CELEBRANDA

RECTORIS COLLEGIIQUE NOMINE

INDICIT

DR. HENRICUS WOELFFEL

LAT. SCHOL. PRAECEPTOR.

NORIMBERGAE.

TYPIS FRIDERICI CAMPE ET FIL.

1856.

Quanquam permulti iique doctissimi atque clarissimi viri post Lipsii curas sospitatrices emendandis Taciti libris operam navarunt saluberrimam, tamen hodie quoque atra nubes locorum foede corruptorum obscurat florentissimi rerum scriptoris candidam faciem. Quod mirum sane esset fieri potuisse in tanta doctrina tamque intentis acerrimorum ingeniorum studiis, nisi ita comparatam esse constaret criticae artis rationem ac naturam, ut si non maxima, at aliqua pars in felici quadam divinatione Fortisque Fortunae, invidae saepe fortibus viris, favore ponenda sit. Verum ex hoc ipso meae jam qualicunque opellae veniam peto, quod eam inter tot inlustria nomina profiteri ausus sim. Quippe aliud nihil hujus disputationis propositum erat, nisi ut pauca feliciter fortasse inventa ad virorum doctorum judicium conferrem, si quid ex iis commodi in Taciti libros, temporum injuria misere habitos, comparari posset. Non quo officium illud, ut suas singulis emendationibus causas ac rationes subjiciam, equidem sim detrectaturus; sed tamen, quominus hisce argumentis nimis confidam, virorum summorum debita prohibet reverentia. Qui quidem mihi, quamvis diverso sententiae, nunquam non honoris causa et cum sincera admiratione nominati sunt. Itaque si quando in re alioquin hispida et exilitate injucunda paullo alacrius sententiam tuli aut verbis lusurus nugas dixi,

id ne quis mihi in crimen adrogantiae aut contumaciae detorqueat, impense his oro rogoque.

„Conjecturae in Taciti scriptis non extremus sed primarius locus, nec incertum jus aut precaria vita, sed regnum atque potentia. Superba autem atque libidini proxima regnorum ingenia. Quare leges ponendae, quibus coerceas.“ Sic Seyffertus, vir doctissimus, in praefatione libelli *Emendationes Taciteae;* et quas deinceps leges ille ex interpretatione sententiarum, ex usu scriptoris et codicum ingenio sibi praescriptas breviter exponit, eas et mihi sequendas constitui iisque ita adstipulor, ut quod addam, nihil quidquam habeam. In hoc solo paullum mea differt ab illius viri sententia, quod Medd. librorum scribas non tam incuria et festinatione, quam nimia cura et anxia quadam trepidatione plerumque peccasse putem. Nam primum illi aliquot locis lacunarum spatium tam diligenter accurateque notaverunt, ut facile conjicias aut fuisse eas in archetypo aut propter vitandae, quae dubia videbatur, dittographiae studium ita signatas esse. Quapropter non possum, quin et ceteras lacunas non signatas aut antiquiori alicui libro tribuam aut ex opinata ac paullo manifestiore dittographia originem duxisse censeam. Deinde haud scio an foedae istae verborum compages, tam religiose servatae, pluribus potius quam uni huic anxio librario fraudi sint. Denique extant in codicibus Medd. litterarum quaedam depravationes, ut *r*, *v*, *b* vel *a*, *ha*, *fa*, vel *f*, *t*, *l*, quae, ut nova inde vocabula descenderent, corruptionis scalam trium saltem graduum ponere cogant. Taceo geminationes syllabarum cum aliis syllabis in novam vocem ita coalitae, ut satis tibi videare habere, compagem istam, non etiam ipsam geminationem in nostri librarii culpam atque curam transferre. His igitur ego adducor, ut Medd. libros non ex optimo et paucis admodum vitiis affecto exemplari descriptos, sed ex tali putaverim trepida diligentia expressos, quod aut primam aut forsan alteram demum erroris faciem exhibuerit. Quae omnia, ut hic non longius persequenda, ita infra exemplis ipsis probanda erunt. Itaque nihil amplius morati ad rem accedamus.

Ann. I, 15.

Retulit Tacitus, tum primum, Tiberio vix imperium ingresso, comitia e campo ad patres translata neque populum ademptum jus questum esse. Deinde pergit:

> **Inter quae tribuni plebei petivere ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum. Mox celebratio *annū* ad praetorem translata, cui inter cives et peregrinos jurisdictio evenisset.**

Rhenanus emendavit: *annuum ad praetorem;* Lipsius: *celebratio annua.* Et ad hunc usque diem editores inter has duas emendationes ambiguo judicio haesitant; nuperrime enim Halmius etiam repetivit Lipsii celebrationem *annuam.* Atqui utraque ea emendatio eodem crimine, tautologia dico, tenetur; quum vel sine tali admonitione pariter constet, et magistratus omnes fuisse annuos, et celebrationem ludorum, qui fastis additi essent, nonnisi annuam intelligi posse. Idem fere contradicendum Doederlini conjecturae: *unum ad praetorem*; nam eo, quo vult vir clarissimus, praegnanti sensu, ut unus praetor opponatur multis tribunis, vix quemquam puto verba accepturum, nisi qui prius admonitus foret. Orellius proposuit et in editione minore vulgavit: *eum ad praetorem,* ut suspiciatur Tiberii tyranni malitia et pusillus animus, quod non praetori urbano, primario inter omnes, hanc curam demandavisset. At haec nimia arte facta et multo impeditior est interpretatio, quam quae pro vera haberi possit. Itaque novae virorum doctorum curae accesserunt; sed non magis prosperae. Nam quod Bergkius conjecit, Lübkerus commendavit: *agonum,* ea vero vox neque stili Tacitei domesticum candorem praefert neque culpam effugit supervacui additamenti. Quis autem cum Haasio sibi persuaserit, legendum esse *post* annum,* ut Tacitus, quum voce *mox* tempus in incerto reliquisset, hic tamen addat certissimam ejus notitiam? — De-

nique ut ingenue profitear, quod sentio, emendationes eae, quae adhuc tentatae sunt, communi omnes eodemque vitio laborant, quod cogitationi novum aliquid et a sententiarum nexu alienum suppeditant. Nihil aliud, quod equidem intelligam, patitur locus nisi hanc solam ac nudam rei mutatae mentionem: translatam esse eam celebrationem a tribunis ad praetorem. — Quanquam aliquo tandem vocabulo ex cod. corruptela restituendo carere non possumus; alioquin male decurreret numerus orationis verborumque continuatio. Quod si accuratius perpendissent Ritterus et Nipperdeius aut tanti, quanti apud Tacitum decet, fecissent, non profecto viri doctissimi verbum *annū* ut glossam exilii damnavissent.

Quae quum ita sint, haud certus sane equidem emendationis, at conjecturam saltem aliquam proponam, quae his quasi adminiculis utcunque fulciatur. Importuna erat atque molesta Tiberio petitio tribunorum. Quare de magnificentia ejus celebrationis derogavit quantum potuit; neque enim ut proprio sumptu ludos ederent, neque ut curru veherentur, permissum. Sed aliquid tamen, ut invidiam si non effugeret, at paullum leniret, non potuit non concedere, quamvis invitus. Itaque decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur. Ea autem ingrata necessitas, ut partim deneganda, partim concedenda essent, quae petebantur, ne in posterum cum invidia detrectati honoris rediret, mox provisum, celebratione *omni* ad praetorem translata.

Igitur hanc ipsam vocem suspicor ex *annū* depromendam esse, ut legamus:

> Mox celebratio *omnis* ad praetorem translata, cui etc.

Posthac nihil recusandum, quia nihil petendum erat; quod quidem cum maxime hoc novo instituto Tiberius sibi videtur voluisse. Quippe populi jura, reipublicae instituta, libertatis monumenta quum abolere summo studio niteretur novarum legum callidus ille repertor, nihil diligentius idem intentiusque cavebat, quam ut invidiam hominum ne incurreret, violentiae

ne suspectus fieret. Ita tunc poterat videri auctam ludis magnificentiam reddere velle, quum nihil aliud translata ad praetorem celebratione nisi tribuniciam libertatem atque dignitatem coercere, deminuere, infringere ei propositum esset.

Codicis autem corruptelam ut levem esse intelligas, hoc teneas velim, in Med. 2 saepe non modo litteram *m*, sed etiam litteram *s* transversa lineola recta aut curva notari, ut XI, 4 *uitelliū* = uitellius. XI, 44 *cultū* = cultus. XIII, 43 *insulā* = insulas. XIV, 62 *marit*$\overset{\tilde{u}}{o}$*s* = maritus. XV, 6 *exercitūs* = exercitum. 15 *jugūs* = jugum. 64 *promptūs* = promptum. XVI, 34 *intentū* = intentus. ibid. *frequentē egerat* = frequentes egerat. Servata videtur ea nota super littera *u*, aut quae videbatur esse, in ceteris plerumque omissa. Ita factum, ut *e* pro *es*, *a* pro *as*, *o* pro *os*, *i* pro *is* sexcenties reperias. Ut pauca afferam exempla: XII, 38 *relicta* = relictas. 39 *auxiliare* = auxiliares. XIII, 40 *diverso* = diversos XIV, 37. 39 *teli* = telis. Neque desunt ejus rei exempla, quamvis rariora, in Med. 1. Confer III, 13 *ĩ* = in. 19 *contrariū*. 45 *in frontē*. VI, 45 *amorē*. III, 62 *passū* = passuum. 73 *aūt* = autem. Neglecta autem nota ea videtur: II, 28 *sermone* = sermones. 82 *falsi* = falsis. IV, 15 *pecunia* = pecunias. 34 *insigni* = insignis. VI, 7 *eque romanos* = eques romanus. Perperam denique a librario, ut in Med. 2. saepissime, soluta est I, 73 *numinus* = numinum. II, 82 *templores* = templorum III, 50 *hominus* = hominum. Vide etiam Heraeum stud. crit. p. 132 sqq.

Quod si reputaveris, facillime *annū* nasci potuisse ex *omnis* non amplius infitias ibis, praesertim si hoc tibi in archetypo *oīuū* scriptum fuisse finxeris. — *Omnis* pro *totus* apud Tacitum legitur etiam *Hist.* IV, 26: *dispositae per omnem ripam stationes.*

Ann. I, 26.

Pannonicas legiones seditio incesserat. Missus est a Tiberio Drusus filius, qui ex re consuleret. Is auditis, quae

Clementi centurioni milites ante mandaverant perferenda, cum ad ea arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur expostulantium: cur venisset nulla benefaciendi licentia?

> **Tiberium olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum rettulisse. Nunquamne *nisi ad se* filios familiarum venturos?**

Ita cod. M. — *nunquamne ad se nisi* tanquam veriorem lectionem commendavit Lipsius; eaque posthac vulgo recepta est. Post Wolfium Bekk. Walth. recentiores editores fere omnes codicis lectionem restituerunt, varias interpretationis vias ingressi. At nil proficitur neque transponendo neque interpretando. Quid enim? milites credamus flagitasse, ut pro filiis familiarum alii nescio qui ad se venirent? Id vero nimiae adrogantiae, imo tetrae impudentiae fuisset, Druso coram aut principes ipsos aut viros aetate et consilio maturos quasi exposcere, Drusum ipsum ut immaturum et non sui juris puerum cum contumelia spernere. Sed quomodo loco non leviter suspecto, verum, si quid video, aperte corrupto subveniendum? Lenissima, puto, medicina. Queruntur milites, quod filii familiarum *nomine* imperatoris ipsos frustrari soleant. Quid ni igitur scribamus:

> **Nunquamne *vice* (sc. imperatoris) ad se filios familiarum venturos?**

Sic demum apparet, cur filios potissimum familiarum appellaverint; nimirum ut quibus facillime deferantur patrum vices. Simili vocis significatione Tacitus Ann. IV, 8 scripsit: *vestram meamque vicem explete.* Mutatione autem litterarum *u* et *n* nihil in mss. frequentius; et confunduntur etiam interdum litterae *c* et *s*, de quo vide Her. stud. crit. p. 100.

Alius supra locus, quem praeterii, eadem ratione ad sanitatem revocari potest. Legimus enim Ann. I, 8:

> **Tum consultatum de honoribus (Augusti defuncti); ex quis maxime insignes *visi*, ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius, ut legum latarum**

> **tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere.**

Recte Nipperdeius monet, quod jam Wopkensium vidisse Wolfius testatur, structuram loci, nimis abruptam illo vocabulo *visi,* Tacito indignam esse. At enim sententia quoque intolerabilis est, quum vix quisquam expediat, cur *visi* potissimum sint insignes illi honores, non fuerint. Neque tamen ut peregrinum uncis secludendum, neque ut maleficum expungendum erit vocabulum, sed emendandum. Lege: *vice* et omnia recte habebunt, sententia Tacito, qui sapienter monita inserere amat, prorsus digna. En vicem sortis humanae gravissimo casu insignitam: porta triumphali ducitur *funus,* et qui in summo fastigio positus legum lator et victor gentium modo fuit, jam legem mortis accepit ipse et *victus est!*

Ann. I, 28.

In eodem Pannonicarum legionum tumultu fors lenivit noctem minacem et in scelus erupturam: nam luna claro repente coelo visa languescere.

> **Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, *asuis* laboribus defectionem sideris adsimulans *prospereque cessura quae pergerent* si fulgor et claritudo deae redderetur.**

Hanc codicis scripturam Orellius cruce notat ut corruptam; plerique recentiorum, praeeunte Walthero difficultatem loci explicando sublaturi, edunt *ac suis*, ceteris servatis. Nisi quod Haasius nuperrime, Bekkerum secutus, *ac* uncis seclusit. Doederlinus transponendo censet locum esse corrigendum; Nipperdeius *ac* omittit et conjectura usus scribit *prospereque cessurum qua pergerent;* parum feliciter, et nequaquam Taciteae orationis perspicuitatem assequutus. Ego a transpositione tanquam gravissimo remedio abhorrens cum Seyfferto facio, qui mendum in verbo *pergerent* latere pro certo habet. Nunquam enim mihi persuadebo, quod Boetticherus et Waltherus docere student, cum verbo *pergere* ullius

vocis accusativum (nisi solum *itineris*) conjungi posse, neque unum quidem exemplum Forcell. attulit. Alia plane res est in verbis *properare* et *festinare,* quae accusativum arcessunt, quia idem valent quod *propere* et *festine agere*, quemadmodum *curare* = *cum cura agere,* et quae sunt similia. Et significat hoc vocabulum, quantum vidi, apud Tacitum constanter: *proficisci, loco movere, ex alio in alium locum contendere;* ne illa quidem locutione *trucidare pergerent*, quae est Hist. I, 40, excepta. cf. segetem locorum: Ann. I, 27. 40. 41. 51. II, 25. 39. III, 45. IV, 22. 47. 52.

Jam vero, si ad locum emendandum accedamus, neque *peterent,* quod Ritterus, neque *pararent,* quod Seyffertus commendavit, sufficere et satis probabile videbitur. Quippe et ante expostulaverant milites et medio in facinore erant. Gravius, puto, vulnus accepit verborum contextus et altius repetendum est remedium. Testis est corruptela *a suis,* quam ego nolim solvere in *ac suis*, sed potius *cum suis*; quod si fingis *cū* scriptum fuisse, non minus facile corrumpi potuit, quia *t* praecedit et affirmante Baitero in Ms. *a* et *u* vix discerni possunt. Jam habet, unde pendeat conjunctivus *pergerent* sive quod eo dissimulatur. Id autem fuisse *crederet* si statuerimus, neque alienum a sententia loci hoc verbum videatur, neque palaeographica ratio repugnat. In promptu enim est confundere litteras *D* et *G* (*d* et *g*) unde *fastidii* et *fastigii* frequens permutatio; *r* autem et *p* (R P) saepissime in cod. M. confunduntur. cf. III. 29 *fastidii* pr. *fastigii.* III, 54 *prope publica* pr. *pro re publica.* Sed ad *cessura* subjectum requiritur idque existimo dittographia syllabae *ra* et vocabulo *quae* absorptum et depravatum esse. Fac igitur, in eo exemplari, ex quo nostri codicis scriptura manavit, exaratum fuisse junctim *cessuraraquaepergerēt,* et vera lectio, si solvas *cessura raqua epergerēt*, facile ex vinculis se expediet; quam equidem (*quoque* pro *que* reposito, ut aliis locis a viris doctis factum est) hanc esse censeo:

> id miles, rationis ignarus, omen praesentium accepit, *cum* suis laboribus defectionem sideris ad-

simulans prospere *quoque cessura reliqua crederet*, si fulgor et claritudo deae redderetur.

Ad *reliqua* sensu futurorum et speratorum cf. Cic. Q. Fr. I, 1. 15. *Illud cogita, nos non de reliqua et sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare.* Nep. Them. 2. *non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore etc.*

Ceterum confirmatur emendatio nostra eo, quod miles dicitur *suis* potissimum laboribus i. e. ad eum diem *praesentibus* et perlatis defectionem sideris adsimulasse, eaque vox primo loco cum vi ac praesagio oppositi *reliqua* enunciata est. Possis etiam ita explicare, ut Tacitus breviter haec fere complectatur: id miles omen praesentium accepit, cum *suis* non Drusi rebus atque angustiis adsimularet, et *laboribus* quidem defectionem sideris, *reliquis* i. e. speratis fulgorem redintegratum pro signo poneret. Vellem Baiterus dubio exemisset, quod teste Walthero Pichena in codice viderat, primum *r* in *pergerent* puncto superius notatum esse; quod si verum est, haud invalida inde fultura additur nostrae conjecturae. Sed neque ipse quidquam de ea re adnotavit, et Bekkeri silentium post iteratam collationem plus quam suspectam in Pichena oculorum aciem relinquit; nisi forte punctum illud tempore ablatum est.

Ann. I, 59.

Arminius, proditione Segestis soceri incensus et rapta uxore vecors actus volitabat per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Caesarem poscens. Neque probris temperabat.

Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium *hostium*. Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint.

Sic Nipperdeius dedit ex Halmii conjectura; et potior sane ea est quam Seyfferti *omissum*, Horkelii, Bezzenbergeri *hoc*

unum (quod recepit Orellius), quam Wolfii denique et Ritteri *Romanum.* At Ms. habet *hominum,* quod Bachius et Doederlinus defendunt, de Caesaris et Augusti cultu explicantes. Quibus in tantum adsentior, ut non modo ejusmodi genitivum per concinnitatem orationis acciri sacerdotio intelligam, sed etiam cum contumelia et probro, quemadmodum *victa ripa,* prolatam eam notionem contendam. Sed ob hoc ipsum cum Halmii conjectura non sufficiat, debebat, nisi fallor, pro *hominibus mortales* scriptor appellare. Ceterum Orellius quidem nihil egit, lectionem codicis ideo respuens, quia ad aram Ubiorum vel Roma et Augustus vel solus Augustus cultus sit, non etiam D. Julius. Nam si vel solus Augustus, alter tamen ex iis *hominibus* sacerdotium ibi habebat, quorum frequens in provinciis et sub dominatione Romanorum cultus erat; quin divinare licebat Arminio, id quod postea factum est, et Tiberium et sequentes dominos divinorum honorum participes fore. Verum intercipitur *hominum* appellatione sententiae tenor cogitatione prorsus aliena; clamant potius omnia et inprimis haec opposita: *coleret Segestes* — *Germanos nunquam* — dominationis hic, non alius rei appellationem locum habere. Ita demum *victae* ripae respondetur et quae sequuntur — virgae, secures, toga — illustrantur. Verum igitur suspicatum esse Haasium puto, nisi quod ille *dominum* edens paullum declinavit. Legendum erit *dominorum,* ut honos muneris sacerdotalis cum suo contemtu ac propria contumelia pronuncietur ab eo, qui animos ad libertatem vindicandam incitabat.

Ann. I, 65.

En Varus *et* eodem*que* iterum fato vinctae legiones!

Editores alterutrum vocabulum, aut *et* aut *que,* omittunt. Et tamen utrumque speciem genuini praefert et jure suum locum poscit. Quomodo enim librarius paene ex continenti post *et* ad suum arbitrium *que* ingerere verbis potuerit, non intelligitur. Doederlinus quidem transponendo et structurae consuluit et enunciationem ipsam egregie refecit. Sed recte

Bezzenbergerus audaciorem transpositionem esse dicit, quam cui assentiri liceat. Quod ipse hic proponit: en Varus *est* eodemque iterum fato vinctae legiones! languoris vitio laborat, praeterquam quod veri similius est, sedem corruptelae in vocula *que* esse. Compendium ejus *q*; perquam similis est huic *ej'*, quod est *ejus;* cf. I, 73 ubi est in cod. *alios ei' ejusdem.* Inde suspicor, Tacito fuisse scriptum:

> En Varus et eodem *ejus* iterum fato vinctae legiones!

Et haec addita vox tantum abest ut superflua esse, ut desiderari etiam videatur. Aut enim debebat dicere: *En Varus et legiones,* aut debebat *ejus* inferre scriptor, ne *idem iterum fatum* ad solas legiones legitime referretur. Quod si fieret, *Varus et legiones* non conjuncti sed disjuncti essent, ut loco ita cogitatione. Neque offendemus, quod fatum *duci* potissimum ascribatur et priori loco positum vi majori animos legentium subeat. Germanice vertam:

> Hie Varus und sein Geschick! Zum zweitenmal in gleicher Weise ereilt es die Legionen!

Decursum etiam numerumque verborum velim attendas, qui haud nihil nostra videtur emendatione juvari. De synchysi autem verborum cf. quae Boetticherus attulit exempla sub *conlocatione;* iisque adde haec: Ann. II, 6 *converso ut repente remigio hinc vel illinc appellerent.* II, 14 *primam utcunque aciem hastatam.*

Eadem compendiorum *ej;* et *q*; permutatione mendum traxisse videtur locus *Agric. c. 17.* ubi legimus:

> et Cerealis quidem alterius successoris curam famamque obruisset: *sustinuitque* molem Julius Frontinus, vir magnus.

Quodsi scribas: *sustinuit ejus molem,* continuabis similitudinem ab auctore per verba *Cerealis — obruisset* metaphorice conditam; et *sustinuit* cum vi oppositi primo loco enunciatum per se sufficiet neque ullo indigebit praecursore, quales Halmius et Haasius arcessunt.

Ann. I, 69.

Agrippina, Germanici conjux, servatis et reversis e Germania legionibus, ipsa militibus laudes et grates habuerat. Id, Tacitus addit, Tiberii animum altius penetravit.

> Non enim simplices eas curas, nec adversus externos *militem* quaeri.

Ms. *militum;* unde Doederlinus *militum studia quaeri* suspicatus est, quod Halmius in textum nuper recepit. Haasius edidit *gratiam quaeri.* Quae utraque locutio quum nescio quid nimii sapiat, mallem — si tali conjectura opus esset — *animos* militum, quod vocabulum $\overline{aos}$ scriptum propter praecedentem syllabam *nos* facile poterat, quasi dittographia esset, a librario opprimi. Sed non opus est tali velut interpolatione, quia Tacitus *quaerere aliquem* pro sua brevitate ursurpat, ut significet *adire aliquem amicitiae et gratiae parandae causa.* cf. Ann. IV, 68: *Ac jam ultro Sabinus quaerere Latiarem, ventitare domum, dolores suos quasi ad fidissimum deferre.* Sin autem praeferas, vocabulum *animos* inserere, habes locum, quo eam lectionem tuearis. Simillima de causa idem Tiberius cum Gallione expostulat Ann. VI, 3: *An potius discordiam et seditionem quaesitam, qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiae morem propelleret.*

Ann. II, 9.

Cum Germanicus exercitum in dextram Amisiae fluminis ripam trajecisset et jam flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interflueret, oravit Arminius ut liceret cum fratre conloqui:

> Erat is in exercitu, cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. *Tum permissu* . . . progressusque salutatur ab Arminio.

In hoc loco explicando vel emendando viri docti laborant frustra, ideoque Nipp. Halm. Haas. editores signum lacunae

ponunt, quae in codice non est. At, quaeso, quid interest tradi, quo anno, atque adeo quo duce Flavus oculum amiserit? Equidem me confiteor neque in universum id neque ex iis quae narrantur divinare posse. Recte Rothius docuit, *amisso oculo* non cum laude insignis fidei conjungendum; quam ita quasi obsignari, speciosius mihi quam verius adnotatum videtur a nescio quo. Nunquam Tacitus amissi oculi mentionem fecisset, nisi irrisionem Arminii eamque ipsam oris deformitatem a fratre in ludibrium versam narraturus fuisset. Quid multa? Mutata interpunctione locus sanus erit; tene:

> Erat is in exercitu, cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo, paucis ante annis duce Tiberio, *tum permissu*. Progressusque salutatur ab Arminio.

Hoc vult Tacitus: erat Flavus in exercitu, quemadmodum paucis ante annis duce Tiberio stipendia merens, ita tum permissu Germanici inter evocatos voluntarius commilito *). Flavus ipse Arminio aucta sibi stipendia memorat **). An hunc credamus fratrem pellicere voluisse, ut exercitum ducesque desereret? Emeritus stipendia redierat ad suam gentem Boiocalus, et aderat Ampsivariis agros a Romanis petentibus, referens se *ducibus* Tiberio et Germanico stipendia meruisse. cf. XIII, 55.

Ann. II, 63.

Maroboduus undique desertus scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae. Responsum a Caesare, tutam ei honoratamque sedem in Italia fore.

> Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, *ne si* quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur.

---

*) cf. Marquardt in Bekk. Handb. d. röm. Alterth. III, 2. p. 296.
**) Marquardt. ib. p. 430.

Post Rhenanum, qui scribendum censuerat aut *ne quando* aut *si quando*, a Lipsio inde plerique editorum *ne* omittunt, nuperrime cum Orellio etiam Nipperdeius, Halmius, Haasius. Ac tamen Doederlinus loco mederi studuerat verba sic transponendo: *Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, ne insolescerent Suevi; si quando* (sc. insolescerent), — *quasi rediturus in regnum ostentabatur.* Quae medela cum non magis probata sit viris doctis, quam Bezzenbergeri conjectura *nisi si quando*, et Weissenbornii *inde si*, licebit denuo scrutari, quo tandem vitio lectio codicis *ne si quando* laboret.

Et primum quidem mirum est, quod Tacitus neglexerit referre, qualis illa ostentatio fuerit, unde Suevi cognoscerent, rediturum esse Maroboduum in regnum, si ipsi insolescerent. Nam ex eo, quod Ravennae habitus i. e. detentus est, alia omnia potius quam liberum reditus arbitrium augurari potuerunt. Deinde quaenam est illa *honorata* sedes, quam Caesar promiserat? An Tiberius promisso non steterit, sed tanquam captivum detinuit eum, cui longe aliam spem praebuerat? At illud quidem Tacitus disertis verbis haud dubie narravisset, postquam non piguit eundem referre, quam regio animo Maroboduus litteras ad Caesarem dedisset.

His igitur causis adducor, ut in corrupto *ne* eam vocem latere existimem, quae et justam Suevorum formidinem et soluta Caesari promissa testetur. Scribendum statuo:

> Et Maroboduus quidem Ravennae habitus *rex*, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur.

Et facillima haec emendatio ei videbitur esse, qui meminerit, litteras *n* et *r*, itemque *s* et *x* haud semel in mss. confundi; *s* autem ante sequentem eandem litteram saepissime excidisse. Ad locutionem et sententiam confer: Ann. XII, 51. (Zenobia, conjunx Rhadamisti) *deducta ad Tiridaten comiterque excepta cultu regio habita est.*

Ann. II, 77.

Post Germanici repentinum obitum legati quique alii senatorum aderant, Syriae praefecerant Cn. Sentium. At Pisonem, veneficii suspectum ideoque cunctantem, an in urbem properaret ad causam dicendam, Domitius Celer hortatur, ut provinciam jam vacuam repeteret; disserens:

Utendum eventu: Pisonem, non Sentium Syriae praepositum; huic fasces et jus praetoris, huic legiones datas. Si quid hostile ingruat, *quem* justius arma oppositurum *qui* legati auctoritatem et propria mandata acceperit. Relinquendum etiam rumoribus tempus quo senescant: plerumque innocentes recenti invidiae impares.

Verbis *ingruat quem* — *qui legati* aut mendum aliquod aut lacuna inest. Censuit quidem Pfitznerus, signo interrogandi post *oppositurum* inserto omnem offensionis causam tolli; neque tamen Orellium, qui ita edidit, secuti sunt recentissimi editorum, sed *quam* ante *qui* supplendo addunt. Pichena rursus inspecto codice, ut Waltherus narrat, mendum in vocabulo *quem* sibi visus deprehendere evulgavit *quam justius* et sic post eum omnes, etiam Bekkerus, excudendum curaverunt. Mihi quoque, ut brevi praecidam, in eo vocabulo sedes corruptelae videtur esse, quia neque exclamationis aut interrogationis hic satis aptum locum, et in tam nervosa comparatione necessario interroganti usurpandam vocem *utrum* putaverim. Quomodo autem *quam* ante *qui* excidere potuerit, non satis perspicio. Nam si vel solo compendio *q*, quo vult Heraeus, exaratum fuit, nullus, opinor, librariorum hanc particulam praetermissurus erat, postquam modo comparativum *justius* expressit. Itaque legere malim:

Si quid hostile ingruat *utique* justius arma oppositurum qui legati etc.

Quamquam libere fateor nullius me exempli hujus particulae apud Tacitum meminisse. Corruptela levis, ejusque

origo haud longe repetenda, quum *ut* post *at* omissum, *m* ante *u* illatum ad eandem his codicibus sollemnem dittographiae labem, quamvis diversa ratione, pertineant.

Ann. III, 14.

Accusatores Pisoni apud Senatum inter alia objecerant haec duo gravissima crimina, primum: Germanicum non modo odio habitum sed postremo devotionibus et veneno peremtum; deinde: rerum novarum studium remque publicam armis petitam. Defensio in ceteris trepidavit: solum veneni crimen Piso visus est diluisse.

> Sed judices per diversa implacabiles erant: Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interisse . . . *scripsissent expostulantes*, quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur; non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset.

Sic locum ut mancum editores omnes notaverunt; in cod. ms. lacuna non est. Solus Doederlinus verba *scripsissent — abnuere* uncis inclusit et unam, quae reliqua est, emendandi viam monstravit. Quem nos cum Bezzenbergero sequentes loco aliquid lucis afferre conabimur, quantumvis Waltherus eorum studia irrideat, qui idem ausi sunt quique ausuri essent.

Nam quod nuper Nipperdeius disseruit, plura excidisse censens et ea maxime, quae petitionem rei, comperendinationem flagitantis, simulque accusatorum adversa atque infesta studia continerent, id quidem parum probabilitatis habere videtur. Sic enim si statuas, quae percommode ex continenti sequuntur *simul populi ante curiam voces* longo intervallo, aliena re interposita distractisque legentium animis dirimuntur ab iis, quibus voce *simul* aptata sunt. Hoc autem pro certo habeo, nihil aliud hic Tacitum voluisse nisi describere et quasi depingere tum haesitationem senatus et consiliorum inopiam,

tum populi importunitatem et promptos, tanquam in re haud dubia, ad ultionem animos. Quodcunque igitur supplementum hujus propositi explicationem aut retardet aut superet, molestum est et non ferendum.

Verum Bezzenbergeri judicio cum ita adsentiam, ut sola verba *scripsissent expostulantes* transpositione egere putem, non tamen cum illo emendaverim, neque eodem, quo ille, loco posuerim. Tautologiam utique intolerabilem efficies scribendo: *si patrum sententias evasisset, si eripi sissent, expostulantes,* — neque veniam huic lectioni obtinueris a vivido descriptionis colore, quia participium *expostulantes*, ultimo loco positum, claudicantem reddit orationem. At quo tandem loco ponamus illa verba? Aut egregie fallor, aut inserenda sunt uno versiculo inferius post *audiebantur*, ut legas:

Simul populi ante curiam voces audiebantur, scripsissent expostulantes, non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset. Sed quid erat illud, quod exasperati postulabant ut scriptum haberent patres? Nempe nihil aliud, quam suam quisque sententiam. Id ex ipsis verbis, quae adduntur, sponte apparet. Populus, perpetrati a Pisone sceleris certus, non intelligit, unde in re manifesta adeo longa cunctatio eveniat. Suam quemque patrum sententiam domi perscriptam in curiam afferre et potuisse et debuisse censet, de qua nihil concederet. Hoc enim interdum et in talibus praesertim causis, quae graviores et antequam in senatu agerentur publice notae erant, moris fuisse comperimus, ut singuli de scripto sententiam dicerent*). Jam vero quae causa potuit gravior, quod ullum crimen, vel ex ipsorum patrum sententia, certius esse, quam Pisonis diu pervulgatum et hominum sermonibus agitatum? Et tamen haesitat senatus et audita defensione dubitat, trepidat de consulto faciendo! Hinc illae populi irae, illae expostulantium minae

*) cf. Bekker, Handb. d. röm. Alterthümer II, 2. p. 430. Cic. pro Planco 30., pro P. Sestio 61. et Halmii brevem ad hunc locum adnotationem.

importunae. Scriptas potius sententias attulissent quam dubiam consultationem inissent et tempus perderent nunc demum deliberando, perorando, inquirendo, — quasi scilicet quaestionis quidquam ea res haberet!

De conjunctivo plusquamperfecti in ejusmodi sententiis cf. Madvig. Gramm. Lat. §. 352. b. Adnot. 4. Cur autem Waltherus censuerit, Tiberium abnuere non potuisse Germanici necem fraudulenter patratam, non perspicio. Quid quod ne opus quidem esse puto cautione illa admodum circumspecta, qua Bezzenbergerus rem ita explicat: „abnuerunt et Piso et Tiberius *credi non posse* Germanicum interisse sine fraude“; quae quidem explicatio subtilior est, quam ut pro vera habeam. Immo abnuerunt et suo jure videbantur abnuere, quod senatus perseverabat credere: Germanicum fraude interiisse. Ea enim sententia efficitur duplici negatione *nunquam* et *sine*. Suo jure abnuerunt et obstiterunt, quominus eo nomine senatus consultum fieret, *quia ne accusatores quidem satis firmabant veneni crimen, in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus ejus cibos arguentes. Quippe absurdum videbatur* etc. An debebat non abnuere Tiberius, ne conscius criminis magis etiam suspectaretur? At si id ipsum Tacitus voluit quasi obiter referre, eam fuisse Tiberii in reprimendo veneni crimine diligentiam, ut facile populi suspiciones justas putares? Et quid denique hac in re apertius aut inconsideratius egit Tiberius quam supra, ubi, meditato temperamento verba faciens, tamen *jure se nimiis studiis accusatorum succensere* libere prolocutus est, et rumores significans de ipso sinistros, patres admonuit: „*nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet nec si qua in nos adversa finguntur.*“?

Verba igitur *quod haud minus — abnuere* recte mea quidem sententia excipiunt ea, quae jam praecedunt, *Germanicum interiisse* et totum locum sic satis bene habere existimaverim:

> Sed judices per diversa implacabiles erant: Caesar ob bellum provinciae inlatum, senatus nunquam

satis credito sine fraude Germanicum interisse, quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur, scripsissent expostulantes, non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset.

Ann. III, 16.

Piso ipse sibi mortem conscivit. Quo comperto:

Caesar flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam aput senatum . . . . crebrisque interrogationibus exquirit, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. Atque illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente recitat codicillos a Pisone in hunc ferme modum compositos.

Lacunam loco inesse, quamquam in cod. ms. nulla indicata est, et praecipue ejus nomen requiri, quem Caesar interrogationibus crebris quasi exhauserit, nemo non agnoscet. Viri doctissimi Ritterus, Orellius, Nipperdeius, Halmius et nuperrime Rothius *) de Marco filio cogitaverunt. Vix crediderim, eo ipso die, quo pater domi perfosso jugulo repertus est, filium, sive Marcus ille sive Cnejus fuerit, in senatu adfuisse solita muneris officia expleturum aut a principe arcessitum. Alterum turpis socordiae et ferrei animi filios adolescentes, alterum incallidae immanitatis eum principem argueret, quem nihil aeque ac invidiam cavisse constat. Qua re permotus et quoniam mihi persuasi, vix uno loco in codice lacunam statuendam esse, quae non nimia cura potius quam incuria librarii orta sit, lubet virorum doctorum judicio conjecturam permittere talem, cui fortasse ex palaeographica ratione paullum commendationis accessurum sit et quae pro emendatione, non pro supplemento habeatur.

---

*) Tacit. Werke, deutsch. 3. Bd. S. 121.

Quam late in Mediceo secundo dittographia grassetur, notum est. Sed ne in cod. M. 1. quidem exempla desunt, quae tantum abest, ut librario deberi putem ei, qui nostrum codicem scripsit, ut permultis locis mihi in expungendis ejusmodi vitiis ille versatus esse videatur. Ita transmisit quidem III, 63 dittographiam absurdam *strato nicidiuae ueneri* (i. e. Stratonicidi Veneri); inportavit fortasse IV, 35 *sed et etiam* (cf. IV, 38); verum expungendo ille verbis injuriam intulit, cum III, 54 scriberet: *quia sibique* pro *quia sibi quisque*, manifesto *quis* pro dittographia accipiens ex praecedente *quias*, et sic multis aliis locis. Talia igitur vestigia premens hic quoque nimiam expellendae, quae videbatur, dittographiae curam deprehendi suspicor et propono emendationem e vocabulo *quaesitam* sic eliciendam, ut legatur:

> Caesar, flexo in maestitiam ore, suam invidiam tali morte quaesitam, *e Sejano* aput senatum crebrisque interrogationibus exquirit etc.

Sejano, praefecto praetorii, licebat haud dubie senatum cum Caesare ingredi*); Sejanus potuit scire, quod Caesar interrogabat, quia non modo Pisonem a tribuno praetoriae cohortis domum deductum c. 14 accepimus sed facile etiam custoditum esse domi conjicias. Quid? quod Tacitus paulo ante narravit, per vana promissa eum a Sejano elusum esse, ne libellum, Tiberii mandata in Germanicum continentem, vulgaret. Sejanus igitur ipse per illos dies magnam rei tam suspecti curam gessisse putandus est. Accedit quod et verba, *illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente* optime in Sejanum cadere videntur, ut qui vel dictum aliquod Pisonis, quod Caesarem gravaret, vel de libello isto aliquid paullo inconsultius fabulatus prodere potuerit, et ita quidem etiam prodidit, ut sinistram existimationem inde fortasse orituram Tiberius recitando codicillos a Pisone compo-

---

*) cf. Bekker, Handb. d. röm. Alterth. II, 3. p. 227. Dio Cass. LX, 23.

sitos eluendam sibi statuerit. — De particula *que* in *crebrisque* explicationi inserviente vid. Boetlich. Lex. Tac. sub v. *et;* Handii Tursell. II. p. 477. — *Sejani* nomen in *se iam* corruptum Ann. III, 35 et Ann. VI, 30 *isse lani* = *is Sejani.*

Eadem ratione usus commodissime etiam expleveris lacunam, quae est VI, 40, si nomen *l. aruseius* quasi geminatum et per compendium scriptum statuas *et aluseaes* i. e. *et alii senatores.* Neque enim aliud quidquam locus postulat. cf. II, 77.

Ann. III, 37.

Quae in laudem Drusi, cum patre Tiberio comparati, a populo trahebantur, a scriptore referuntur: ab eo in urbe, inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari:

> Neque luxus in juvene adeo displicebat: huc potius intenderet, diem *aedificationibus*, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret.

Sic M. Varia tentaverunt viri docti: Lipsius *editionibus;* Seyffertus *ludicris actionibus;* Hauthalius *meditationibus* (sive malis *declamationibus, recitationibus, judicationibus, exercitationibus*); Bergkius *) *diem daret factionibus* coll. Dio Cass. LVII, 14. et Tac. Ann. I, 76. Sed de ingenio loci egregie judicavit Halmius **), notionem requiri asseverans eam, quae luxum quendam solutioris vitae voluptuosum neque tamen dehonestantem prodat. Quam ipse proposuit emendationem, *ludificationibus* scribi posse censens, ea neque ipsi satisfecit et aliorum assensu destituta est. Quare nobis liceat novo periculo suadere, ut *aedificationibus* solvatur in duo verba et legatur:

> diem *equiriis, actionibus*, noctem conviviis traheret.

---

*) Rhein. Mus. N. F. VII. p. 158.

**) Beitr. z. Krit. u. Erklär. der Ann. des Tac. Speyer. 1846. Jahn's Jahrbb. XIX, 56. p. 44.

Non vereor, ne nimiae audaciae arguatur haec qualiscunque emendatio, si modo reputare velis *ae* saepissime litterula *e* in codicibus scriptum et utramque inter se in nostro quoque codice confundi sexcenties; itemque litteras *d* et *q*, *r* et ł, *ſ* et *c* similitudine magis inter se affines quam dissimilitudine diversas esse concesseris. Denique finge tibi in aliquo antiquiore codice scriptum fuisse *eqrıſ actionibus* et facile corrumpi potuisse haec duo verba in *edificationibus* non aequo pertinacius negabis.

At ipsa vocabula dubitationem movent! Novi quidem iis Ovidii locis, quos affert Forcellinius, non nisi ludos Martis solemnes eo nomine significari; et Festus quoque tradit: „equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur.“ Sed tamen ipse Ovidius dicit, *ex vero positum* permansit equiria nomen. (Fast. II, 859.) Vocabulum igitur sumptum est ex re, sc. equorum cursu. Quidni Tacito eandem rem eodem vocabulo licuerit appellare, licet non sollemni illa significatione? praesertim quum alios quoque ludos equorum cursu celebratos esse ex Tacito ipso constet? cf. XV, 74. Et quid denique hic locus magis desiderat quam id ipsum, ut luxus quidam insolentior et supra morem auctus recenseatur? Ceterum cursum et regimen equorum inter oblectamenta principibus habitum, juvenilibus praesertim annis, et per se verisimile est et firmatur iis, quae Tacitus de Nerone diserte tradit Ann. XIII, 4.

Actionibus primam et propriam significationem esse in rebus scenicis, et de histrionibus, sicut de oratoribus usurpari satis notum, et praeter alios hi duo loci docent: Cic. Or. II, 17. *Accedit a c t i o non tragica nec scenae, sed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens;* et ad Fam. V, 12, 19. *Secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum. Habet enim varios actus multasque a c t i o n e s et consiliorum et temporum.* Confer etiam Vitruv. V, 7. 2. *ideo, quod apud eos* (Graecos) *tragici et comici actores in scena peragunt, reliqui autem artifices suas*

per orchestram praestant actiones. Jam vero adde his, ut verum probasse videamur, quod ex Dione constat, *τοῖς ὀρχησταῖς* Drusum mirum quantum studuisse, eosque ideo nimio favore suo in superbiam atque insolentiam compulisse. Etenim, postquam *conviviorum* quoque *nocturnorum* consuetudinem et vini intemperantiam in Druso notavit, his ipsis verbis pergit: *τοῖς τε ὀρχησταῖς οὕτω προςέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτοὺς καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ' αὐτοὺς ἐξενηνόχει, καθίστασθαι.* Dio C. LVII, 14.

Ann. III, 55.

Quibus de causis luxus mensae, per annos centum profusis sumptibus exerciti, paulatim exoleverint et sua aetate nulli fuerint, Tacitus exposuit eamque expositionem ita concludit:

> Verum haec nobis *majores* certamina ex honesto maneant.

Plerique locum pro manco aut signaverunt aut Lipsio autore emendaverunt, ante *majores* interposito *in.* Equidem locum pro corrupto potius quam manco accipiens breviter dicam quod sentio. Revertitur scriptor a causarum explanatione ad continuationem rerum et in fine digressionis ad initium respiciens, eorumque quae dixerat: *causas ejus mutationis quaerere libet,* cogitando memor hic, ni prorsus fallor, scripsit:

> Verum haec nobis *mutata certamine* ex honesto maneant!

Ad verbum *manere* Rothius l. l. p. 122 jubet conferre XV, 21 *decernaturque et maneat provincialibus.* Cui loco adde II, 83 *pleraque manent.* XIII, 51 *manet tamen abolitio.* XIII, 28 *manebat nihilominus quaedam imago.*

Ann. IV, 49.

Arma ceperant Thraecum gentes contra intentiorem Romanorum dominationem, prompto libertati aut ad mortem

animo. Poppaeus Sabinus, exercitu in unum conducto, castra transtulerat hostem propter et castello inclusos obsidebat. Et jam barbari in extremam necessitatem adducti; adjacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat:

> rebusque turbatis discordia accessit, his deditionem aliis mortem et mutuos inter se ictus parantibus, et erant qui non inultum exitium sed eruptionem suaderent, neque *ignobiles*, quamvis diversi sententiis. Verum e ducibus Dinis, provectus senecta — ponenda arma disserebat primusque se — victori permisit.

Nuperrime, et optime ille quidem, de hoc loco disputavit Aebius *). Tamen vereor, ne conjectura sua: ***neque ii mobiles***, paullum a vero declinaverit. Molestam esse vocem ***ignobiles*** et vix ferendam, neminem puto infitias iturum. Ritterus judicat: ***hoc a Tacito esse nequit***, et Nipperdeius glossam ex margine in textum translatam suspicatus verba ***ignobiles — sententiis*** uncis seclusit. At hoc quidem est nimis audacter agere, eaque audacia ab Halmio **) et Wurmio ***) jure reprehensa atque ablegata est. Sed ne Doederlinus quidem, qui unus editorum hunc locum interpretando sustentare studuit, omnem dubitationem exemit, neque succensebit vir clarissimus, mihi summa pietate colendus, novo conamini, ut qui sua ipse interpretatione haud fortiter confisus esse videatur. Particula enim concessiva *quamvis* non satis dilucidum habet oppositum cui concedat, praeeunte notione ***ignobiles***. An his quidem liceat diversis esse sententiis, non item nobilibus? Nempe arctissime haec verba cum ***et erant qui*** conjungenda sunt; alioquin, si ad discordantium utramque partem spectarent, ipsa non carere debebant proprio verbo (*erant*) et majore interpunctione post ***suaderent*** opus esset.

---

*) Rhein. Mus. N. F. X. p. 310.
**) Jahn, Jahrbb. f. Phil. u. Päd. XIX, 55.
***) Gelehrt. Anz. München. 1855. Nr. 3.

Corrige:

> **Et erant qui non inultum exitium sed eruptionem suaderent; neque *in dubio res*, quamvis diversi sententiis.**

Quippe vocabulum *sententiis* ultimo loco positum, Dinis dux ad deditionem promptus et statim digressus, Turesis eruptionem in proximam noctem parans, suo quisque cum sequentium globo, totus tenor narrationis, omnia, quantum video, clamant, eam quam suademus oppositi notionem necessariam esse.

Tantum autem abest, ut variata elocutio Tacito indigna sit ut amari ab eo viri docti multis exemplis moneant. Cf. inprimis Boetich. lex. Tac. Proleg. — Neque palaeographicam fidem prorsus denegabit, si quis expenderit, quam facile litterae *D* et *G* (*d* et *g*) confundantur et quam sit in proclivi suspicari, scribentis animum per aures consonis utrimque, quas vocant, vocalibus deceptum, a vero aberrasse. — Ad locutionem Tacito satis frequentem cf. Hist IV, 4. *ceterum invidia in occulto, adulatio in aperto erant;* et quae Boettich. attulit exempla sub v. *in;* Hand. Turs. III, 255.

Ann. IV, 53.

Aggrippina, cum viseret eam Caesar, invidiam et preces orditur:

> **subveniret *solitudini*, daret maritum; habilem adhuc juventam sibi, neque aliut probis quam ex matrimonio solatium; esse in civitate . . . Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur.**

Hunc locum eo attuli animo, ut iterum exemplo demonstrem, lacunas, quae quidem in cod. Med., sive ut supra tectae, sive ut hic indicatae, vere insunt, haud raro suo complemento refici et explanari posse, si eas studio vitandae dittographiae, quae videretur, productas esse praesumas. Librarius spatium tredecim fere litterarum vacuum reliquit. Nimirum quam sibi deprehendere videbatur dittographiam ex-

primere non ausus, maluit tamen omittendo quam interpolando peccare. Quid autem ex sententia probabilius querulisque Agrippinae vocibus accommodatius, quam si scripsisse Tacitum cogitemus:

> esse in civitate, *qui viduatam* Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur.

Vel solum verbum *recipere* hanc quam dicimus vocem reposcit. cf. Ann. XVI, 30 (*Servilia*) *nuper marito Annio Pollione in exilium pulso viduata desolataque.* Finge in archetypo fuisse exaratum: *civitate qividatā* et intelliges manifestam videri posse geminationem.

Alterum subjungo locum, qui mihi quidem eodem vitio lacunam, licet non indicatam, traxisse videtur. Ann. XII, 54 M. alter exhibet:

> Sane praebuerant Judaei speciem motus orta seditione, postquam cognita caede ejus haud obtemperatum esset manebat metus ne quis principum eadem imperitaret.

Editores ante *postquam* signum lacunae ponunt. At restitue *sane praebuerant Judaei speciem motus, orta seditione ob C. Caesaris edictum; post, cum cognita etc.* et sana sunt omnia. Verba *obcces.edictō* i. e. *ob C. Caesaris edictum* propter ea quae antecedunt *ortaseditiōe* pro dittographia accepta exciderunt.

Obvia est in codd. permutatio litterarum *r* et *v* et *b*, nec minus *t* et *c*, unde plus satis confirmata nostra conjectura. Cf. IV, 65 *advenabum* = advenarum XVI, 22 *tenebo* = *te, Nero;* et Heraeum l. l. p. 93 coll. p. 127.

Quid quod tertium, quartum, quintum locum certo ac prospero eventu sanare licet, modo ne medicinam hanc abhorrueris:

> *Ann. XIV*, 42 concursu plebis — usque ad seditionem ventum est *senatusque in quo* ipso erant studia etc.

Hiat vulnus; claudes, si ex *senatus* depromere velis vocem *cinctus*, quae dittographia velut *cenatus* poterat haberi a librario ideoque expelli. Tutius hoc, quam si cum Jacobo et Halmio *obsessus* inseris.

> *Germ.* 46. nec aliud infantibus — suffugium quam ut in *aliquo ramorum nexu* contegantur.

Recte Haasius post *aliquo* lacunam notat; nam certus quidam locus sit oportet, quod senum receptaculum appellatur. Haud absurdum fuerit suspicari, *cavum* aliquod fuisse, quod invenies si expulsam geminationem ponas syllabae *quo* (ex *qauo* vel ortam vel suspectam) et corrigendo restituas: *quam ut in aliquo cavo ramorum nexu contegantur.*

> *Dial.* 33 lege: sed longe magis facultate et eloquentia *contineri rem*, nec tu, puto, abnues etc.

Quamquam enim nuperrime etiam Rothius, vir clarissimus et de Taciti libris optime meritus atque nunc ipsum merens, Tyrwhittii emendationem *usu eloquentiam* laudavit, tamen vereor ut ea probari possit. *Eloquentia* opposita est *scientiae*, ut *arti* opposita *facultas*. Docent sequentia, quibus facultati vim *eloquentiae*, non *usum* accedere Messala contendit.

Ann. IV, 65.

> Haud fuerit absurdum tradere montem eam antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod talis silvae frequens fecundusque erat, mox Caelium appellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae *cum auxilium appellatum tauisset*, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. Cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitavisse, unde Tuscum vicum e vocabulo advenarum dictum.

Ita cod. M. Totum exscripsi locum, ut aditus ad probandam eam, quam allaturus sum, emendationem paratus et

ipso narrationis argumento quasi munitus sit. Nostrum non est, quaestionem, quae de Caele Vibenna deque tempore est, quo Romam venerit, pluribus persequi; relinquimus eam cum Tacito. Videant viri docti, quomodo veteres scriptores de ea re discrepantes inter se conciliari queant; nos satis habemus hic provocare ad ea, quae Fr. Jacobus, vir celeberrimus, egregie etiam contra Niebuhrium et O. Muellerum de Caele Vibenna, gentis Etruscae duce, disputavit. At id quidem non capio, unde Orellius tam certo compertum habuerit, Tacitum hic non gentis alicujus ex Etrusca civitate, sed totius nationis Etruscae ducem intellexisse. Ex eo, opinor, auguratus est, quod Lipsio auctore praejudicatum ei fuit, *auxilium tulisset* veram esse lectionem sine ulla controversia. Verum enim vero est controversia, inque ea quaestione cardo vertitur totius rei. Etenim, ut hoc praemoneamus, aperte facit Tacitus cum Claudio, qui in oratione pro Gallis Servium Tullium cum Caele Vibenna ait *varia fortuna exactum* Etruria excessisse. Quod a Walthero et Jacobo, quibus in eo adsentitur Bezzenbergerus, ita dilucide expositum video, ut neminem posthac putares de auxilio a Vibenna lato cogitaturum. Et tamen Nipperdeius et Halmius *cum auxilium tulisset*, Haasius Faërnum secutus *cum auxilium appellatus tulisset* nuperrime excudendum curaverunt. Nimirum inopes sunt editores in hoc loco consilii, quia, quotquot a criticis sive antiquiorum temporum sive nostrae aetatis prolatae sunt emendationes, earum nulla prorsus satisfacere videretur. Quo necessario fit, ut aliquo qualicunque modo legentium desiderio ad tempus consulatur.

Jam vero videamus, quae ratio ineunda sit, ut prosperiore tandem eventu indagatio nostra fruatur. Et viam quidem inveniendi veri sic monstraverunt Jacobus et Bezzenbergerus, ut id solum dolendum sit, quod ingenii acumen fortunam non habuit comitem, certe meritum iis maneat, si quis post illos verum viderit. Nam primum codici fidem suam vindicaverunt, *appellatum* non foedam labem ex temeraria repetitione praecedentis verbi *appellitatum* ortam cen-

sentes, sed corruptam esse vocem, a Tacito profectam, asseverantes. Deinde luce clarius et firmissimis argumentis docuerunt, de *exule* hoc loco, non de auxilio ferendo agi. Denique dissolvendo vocabulo *appellatum* velut victoriae parandae signum praetulerunt sequentibus.

Jacobi autem conjectura *cum exul jura per bella temptavisset* duplici vitio laborat, quod et nimis artificiosa est, et ex Claudii potius verbis quam nostri loci ingenio petita nescio quid alienum affert. Ad haec exul dici non potest, qui armis jura recuperaturus est. — Bezzenbergerus mea sententia propius accessit ad veritatem, *auxilium* mutans in *exilium.* Facile enim permutari has voces, documento est alter Medic., qui XIII, 23 exhibet *auxiliumque accusatori inrogatum* pro *exiliumque.* Sed quod suspicatus est vir alioquin sagacissimus, in *appellatum tauisset* latere *ob bella tutum oravisset*, id quidem paullo longius a cod. scriptura recedit et sententiam praebet languidiorem ac Tacito vix tribuendam. Illud *ob bella*, molestum et prorsus supervacaneum, nimis friget aut negligentius tangit rem relatu dignam. Non magis mihi persuaserim, quam nuda ista verba *cum auxilium tulisset*, hoc scripsisse Tacitum, ne nutu quidem indicantem, aut contra quem auxilium aut cum quo bellum inciderit.

Nos igitur in hanc delati sumus conjecturam, pro corruptis verbis:

cum auxilium appellatum . . tauisset

scribendum esse:

cum in exilium ab illa comitatus esset.

Quae emendatio et proxime ad codicis scripturam accedit, et ex eo etiam veri similior videatur, quod cum Claudii imperatoris oratione ad verbum fere conveniat. Ita enim ibi legimus: (*Servius Tullius*) *Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque ejus casus comes, postquam varia fortuna exactus cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit. Comitatus* igitur est Vibenna et singulis sodalibus et exercitu suo, ejus gentis reliquiis, cujus auctore Tacito dux fuit. Jam vide,

quam apte cohaereant omnia seque invicem illustrent atque confirment. Dux Vibenna, variam in Etruria fortunam expertus, dein *exactus* Etruria, *comitatus gentis* suae reliquiis, *exul* venit Romam et *sedem accipit* montem Querquetulanum, qui postea ex ejus nomine Caelius appellitatus est. *Advenarum* autem *magnae copiae* Tusco vico vocabulum suum attulerunt. Quis unquam, quaeso, crediderit *advenas* dictos esse Tacito, qui *auxilium* tulissent?

Ann. IV, 69.

Titus Sabinus illustris eques Romanus, Latinii Latiaris aliorumque senatorum detestanda fraude captus, majestatis accusatus et in carcerem tractus est. Inde

> non alias magis anxia et pavens civitas, *egens* adversum proximos; congressus, conloquia, notae ignotaeque aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

Codicis lectio aperte corrupta. Fluctuant autem virorum doctorum opiniones necdum verum repertum est. Nam in eo Waltherum recte vidisse arbitramur, quod habere dicit sua epitheta civitatem nec convenire bono stilo, ut *civitas anxia* et *pavens* post se trahat languida illa verba: *egens adv. prox.* Poterat dicere, *trahat ullum novum epitheton.* Nam hanc rationem variatio elocutionis Tacito consueta videtur poscere, ut novum sententiae exponendae membrum inducatur quasi novo habitu, forma, colore. Atque in sententiis similiter compositis eam notavi legem, ut non nisi substantivorum excipiant infinitivorum constructiones. cf. c. 10 *quo verba acciderent, fuga, vastitas; deseri itinera, fora.* VI, 17 *ita primo concursatio et preces, dein strepere praetoris tribunal.* Itaque suspicor aut

> *Segnitia adversum proximos* aut *sapientia adv. prox.*

Hoc magis placet, quandoquidem non vituperantis sed cum indignatione approbantis sunt verba; *segnitia* autem vitium

est ac labes. cf. Hist. I, 49 *ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur.* Neque dubitationem injicit palaeographica ratio; nam quod forma litterarum paullo longius abest a codicis scriptura, compensatur id quidem similitudine pronunciationis, quae inter *egens* et *sapiens* intercedit. Literam *s* ex praecedenti, *a* ex sequenti voce adsciscendas puta et hanc pone depravationis scalam: *sapientia*, *adens*, *egens*; nam *p* et *d* permutata habes hoc ipso capite *acciperent* = *acciderent*, de confusione litt. *d* et *g* vide supra ad I, 28. Ea autem propria est apud Tacitum *sapientiae* et *sapientis* appellatio, quae caute et circumspecte agentem denotet. cf. inprimis III, 16 *illo pleraque sapienter, quaedam inconsultius respondente.* II, 14 *quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae, disserit.* II, 64 *laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset.* XIV, 60 *inde crebri quaestus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, ex mediocritate pauciora pericula sunt.* cf. etiam Agric. 27 *illi, modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant.* Hist. I, 88 *sapientibus quietis et reipublicae cura; levissimus quisque et futuri improvidus spe vana tumens.* Opponitur igitur homo sapiens incauto, inconsulto, temerario, audenti; homo prudens i. e. sciens, gnarus, de industria agens imprudenti, ignaro, impesrito, rerum non intelligenti. cf. I, 74 *ne imprudens dissentiam.* II, 23 *miles casuum maris ignarus officia prudentium corrumpebat.* XIII, 16 *diffugiunt imprudentes. At quibus altior intellectus, resistunt.* III, 18 *percontatus est an prudens praeterisset* (i. e. de industria). III, 69 *Atque ille* (Tiberius) *prudens moderandi, si propria ira non impelleretur.* IV, 33 *quia pauci prudentia honesta a deterioribus — discernunt, plures aliorum eventis docentur.* (At ibidem *callidi temporum et sapientes*) Agric. 26 *ignavi specie prudentium admonebant.* ib. c. 19 *prudens simulque doctus per aliena experimenta.* Nunquam quod ego sciam, *prudens* et *sapiens* synonyma Tacito vocabula sunt, neque opposita inter se *sapiens* et *imprudens*. Confer duo locos, ubi haec voca-

bula eidem fere verbo opposita longe diversam efficiunt sententiam. Ann. XV, 60 legimus: *Is* (Seneca) *forte an prudens* (i. e. de industria) *ad eum diem ex Campania remeaverat.* Contra Ann. I, 28 *utendum inclinatione ea Caesar et quae casus obtulerat in sapientiam* (i. e. circumspecta consilia) *vertenda ratus.* — Itaque fit, ut *prudentes* opponantur *vulgo, plerisque,* ut I, 9. I, 47. Et quae alia ejus usus in promptu sunt exempla. cf. etiam Rothium *), qui ita judicat: „*sapientiae* vocabulo dupliciter utitur Tacitus, ut vel utilitatem callide quaesitam vel totum quasi orbem earum disciplinarum, quas philosophi tractant, eo vocabulo significet."

Quae quum ita sint, cum nostro loco duos alios conjungere libet, quibus inde fortasse medela petenda sit. Et primum quidem hoc ipso cap. 70. paullo infra est: *non prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse.* Lipsius et plerique: *non imprudentem* correxerunt. At si legas: *nam prudentem* multo gravior existet sententia, quum de industria (mit Fleifs, absichtlich) Tiberius dicatur egisse: videlicet *quaesitum meditatumque ne quid etc.* —

Alter locus est Ann. I, 70, ubi M. habet *nihil strenuus ab ignavo, sapiens a prudenti, consilia a casu differre.* Vulgo nunc legunt quod Lipsius praeivit: *sapiens ab imprudenti.* At ex Taciti usu ea nulla est oppositio, quae tamen hic certissima esse debet. Nam *imprudens* esset, qui nescit agere, quum flagitetur appellatio ejus, qui temere, inconsulto agens Forti Fortunae confidit. Quam ob rem utique adsentiendum Paldamo **), qui proposuit *audenti* coll. l. XIV, 58. Adde Agric. 33. *audentissimi cujusque procursu.*

Ann. V, 4.

Postquam Julia Augusta decessit, praerupta jam et urgens dominatio; et velut frenis exsoluti proruperunt Tibe-

---

*) Gramm. Quaest. V e C. Corn. Tacito repetitae. Norib. 1829. cf. eundem, Agricola §. V. p. 118.

**) Philol. III, 2. p. 331.

rius et Sejanus; missaeque in Agrippinam ac Neronem litterae. Recitatae sunt magno senatus pavore ac silentio, donec pauci, ut referretur, postulavere. Sed aliis trepidabatur; quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat. Fuit in senatu Junius Rusticus, meditationes Caesaris introspicere creditus.

Is fatali quodam motu — seu prava sollertia, dum imminentium oblitus incerta pavet, inserere se dubitantibus ac monere consules ne relationem inciperent; disserebatque brevibus momentis *summa verti posse quandoque Germanicis titium poenitentiae senis* simul populus — circumsistit curiam etc.

Ponunt lacunae signum aut student explere; in M. lacuna non est. Pauca tentamina virorum doctorum afferam, non impia ceterorum negligentia, sed quia longum est omnia enumerare, paene infinitum examinare. Habebit autem hoc brevitatis studium aliquantum excusationis vel inde, quod nulladum inventa est emendatio, quae evidenter probata auctoritatis palmam tulerit. Quamquam recentissimi editores Nipperdeio praeeunte unanimi fere consensu typis mandaverunt: *summa verti; posse quandoque domus Germanici exitium paenitentiae esse seni.* Nisi quod Halmius *Germanici* ante *domus* collocat, et dubius rei in praefatione *rectius se fortasse senatui pro seni debuisse* dicit *cum Jacobo recipere.* Hic quidem, vir et doctissimus et perspicacissimus, optime de ingenio et ratione loci nostri disseruit, et hoc verissime et luculentissime comprobavit, *de incertis* iis, *quae pavet* Rusticus, omnem rem versari. Quo magis miror, quod scopum tamen non attigerit, et legendum esse censuerit: *posse quandoque Germanici exitium poenitentiae senatui esse.* Quanquam nolim cum Bezzenbergero exprobrare, quod statuit, de *sene* Tiberio in his, qualia adhuc leguntur, mentionem incidere non posse. Nam cur, quaeso, *senis* poenitentiam maluit Rusticus quam *principis* minitari? Certe ea, quae Bezzenbergerus contradicit, longe repetita neque satis cum Tiberii mori-

bus et ingenio congruentia. Tiberius circumspexeritne eos, quibus traditurus esset imperium? desideraveritne unquam posthac Germanicos ab ipso extinctos? Non credam, ni prius rubicunda benigne corna vepres et pruna ferant. At *Germanici exitium* dici non potest, quod in ejus uxorem et filium paratur; Germanicus diu peremptus. Quod autem Bezzenbergerus ipse suspicatur: *verti posse: quandoque Germanicis justitiam poenitentia e senis,* recte quidem *Germanicis* servat et interpunctionem ante *quandoque* commendat; cetera fluctuant. Melius Seyffertus: *initium*, quod primus invenit Hermannus; *titium* enim = *ītium* est *initium*. In ceteris et ipse frustra, ut omnes qui de *poenitentia* Tiberii cogitant. Nemo unus senatorum, puto, eam admonitionem vel nauci habuisset; neque Tacitus certe *fatalem* eum *motum seu pravam sollertiam* eam in Rustico significasset. Quod fato compulsus sive prave sollers ille prompsit, non potest non ad solum Tiberii *exitum* et futuram a *Germanicis* vindictam spectare. Quapropter corruptelae propria sedes in *poenitentia* quaerenda et ita tollenda est:

> disserebatque: brevibus momentis summa verti posse; quandoque Germanicis initium *imperitandi a* sene.

Petit haec emendatio omnem et veniam et defensionem ex praecedentibus verbis, Rustici studium male promptum denotantibus, *dum imminentium oblitus* *incerta pavet.* — *Imperitandi* vocem Tacito de principibus summam rerum adeptis sollennem esse satis constat. cf. tamen XII, 65 *si Nero imperitaret.* — De levissimo genere corruptelae satis conspicuae in solenni confusione litterarum *n* et *r*, *e* et *ae*, *d* et *t* et syllaba *in* post *m* omissa aut cum *initiū* coalita non est quod longi simus.

Ann. XI, 8.

Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis . . . C. Caesaris vinctum memoravi monente Claudio in regnum remeavit.

Habet cod. *cesaris;* lacunam nullam signat. At signant editores vel qualicunque ratione supplent. Verum mitte lacunam et facillima emendatione repone:

quem imperitasse Armeniis et C. Caesari vinctum memoravi.

Sexcenties Med. alter *is* habet pro *i* in terminationibus vocabulorum, et dativus casus Tacitea brevitate praegnantiorem etiam et graviorem sententiam facit.

Item signa defectus ponendo injuriam intulit Halmius loco, qui est Agric. 24, ubi codd. *Vab:*

Solum caelumque (Hiberniae) et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt *In melius* aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti.

Recte nuper Rothius cum Walth. statuit, verba *in melius* neque ad praecedentia neque ad sequentia quadrare; et Haasii emendatio *differt et in melius. Aditus* vix ulli probabitur. Tam obiter ac negligenter rem notare cognitu et relatu dignam ne mediocri quidem scriptori permissum, nedum Tacito tale quid tribuendum. Sed levissimum est mendum, in quo cubat locus. Discerne sic: *ium elius* et emenda:

Solum caelumque a Britannia differt. Jam illius (sc. Hiberniae) aditus portusque — cogniti.

In aperto est, cur pronomine *ille* usus sit noster; Britannia proxime appellata. Et flagitat *jam* narrationis compositio et continuatio, quum mox spem illam Hiberniae potiundae coercitam relaturus esset Tacitus, sequentis capitis initio pergens: *Ceterum e. q. s.*

Video Rhenanum quoque maluisse *ejus*, ut insula significetur; unde nostrae emendationi repetimus praesidium.

Ann. XI, 23.

Quum primores Galliae Comatae jus adipiscendorum in urbe honorum expeterent, studiis diversis apud principem inter alia haec expromunt:

Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Julium apud Alesiam obsederint. recentia haec. quid si memoria eorum *moreretur qui Capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis.* fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgaret.

Quo in loco quum viri docti et nostrae aetatis multum desudaverint, ita tamen ut alteri alterorum sententias ut inutiles refellerent, equidem satis habebo, quae a singulis prospere inventa videantur, referre, et mea, quae conjeci, ne parem cum ceteris emendationibus damnationem sortiantur, quam firmissime possim, munire. Igitur, ut statim dicam quod sentio, lacunam in codice non agnosco, corrupta autem et partim mutilata verba sic emendo:

> quid si memoria eorum *innovaretur*, *quae in* Capitolio et *foro* Romano *majoribus* eorundum *perpetrata sint?* fruerentur sane vocabulo etc.

Doederlinus subtilissimo quo est ingenio unus omnium monuit, de universa locutione *memoria oritur*, quod verbum plurimi amplexi sunt, verendum esse. *Renovare*, *innovare* ab Heinsio; cetera *movere*, *iterare*, *inire* nihil Tacitei praeferunt. Jacobus *in* ante *Capitolio* inseruit et commendavit *foro Romano*. Bezzenbergerus primus vidit, *qui* corruptum et genere neutro accipiendum esse. Quid igitur meum? Hoc solum, quod *manibus* mutavi in *majoribus* et ex centonibus istis discerptis *per se satis* resarciendum putavi integrum aliquod et necessarium loco nostro qualecunque ornamentum. Haec duo ante omnia igitur sunt probanda.

Corruptam esse vocem *manibus* haud ita difficile intellectu. Scripsit Seyffertus: *qui manibus eorundem trucidati;* Jacobus: *qui manibus eorundem perissent.* Sed quid hic manibus loci? quidni scripsit Tacitus *ense*, *gladio trucidati*, aut *saevitia*, *scelere perissent?* Et qui potuit dicere *manibus eorundem*,

qui tunc ipsum aderant orantes, petentes? Nipperdeius, Heinsio ex parte praeeunte, in textum recepit *manubias deorum.* Credat, qui velit. Grave scilicet argumentum ad repellendam Gallorum petitionem erat, *conatos esse* Gallos deripere, non deripuisse *manubias.* Facilis autem nostra videatur mutatio et necessaria est. Compendio scriptum vocabulum *māiōibus* poterat mox in *maōibus* et denique in *māibus* abire, quod est *manibus.* Majores autem appellari hoc loco necesse est, quia paullo ante *avi proavique* petentium diserte dicuntur *recentia* ista ausi esse. Quo simul vis vocabuli *eorundum* in lucem prodit.

Ex misere autem laceratis membris *per se satis* quod aliud verbum, et rei et sententiae aptum, magis in promptu sit componere quam *perpetrati sint?* Quod quam facile depravari in hunc modum potuerit, ut intelligatur, monitum velim, non modo *r* et *s*, *r* et *p*, ut *s* etiam et *t* saepissime a librariis confundi et permutari, sed quod hoc loco inprimis urgendum, haud raro aurium lapsum per taciturnam cogitationem in calamum irrepsisse. Hoc vitiorum genus deprehendis II, 10 *gurgia* = jurgia. II, 13 *res tersa* = respersa. II, 67 *in gregi* = hinc regi. IV, 30 *medurius* = ni durius. IV, 40 *peridem* = pridem. XIV, 22 *intra et alio* = interpretatio XV, 46 *malarum moribus* = mala rumoribus; et q. s. s. *Perpetrare* vero de facinoribus aut periculosis aut sceleratis Tacito aliis quoque locis usurpatum, et vim quidem verbi *patrare* hic intendit. cf. Ann. XIV. 7 *perpetraret Anicetus promissa,* sc. Agrippinae caedem. Hist. IV, 51. Vespasianus *exercitus partem Tito tradit ad reliqua Judaici belli perpetranda.* cf. Ann. XIII, 27. XIV, 11. XV, 14. Et quam congruens sensui sit vocabulum, vide. Etenim *avi proavique* Gallorum, quamvis rebelles et scelesta ausi, tamen nihil perpetraverunt sed profligati sunt; *majores* eorum in urbem usque penetraverunt et, quae proposuerant, incendium caedes rapinas perpetraverunt. Neque exaggerantium est oratio, excidio propinqua urbs erat, quamvis Claudius contra faciens verba rem leviter tangat, c. 27 his absolvens: *capti a Gallis*

sumus : ac tamen, si cuncta bella recenseas, nullum breviori spatio quam adversus Gallos confectum.

Sed cetera etiam examinanda, an veri speciem loco ita restituto concilient. Et primum quidem *recentia haec* cum dicat Noster, necesse erat addi quod augendae orationi vi oppositi inserviret velut: *antiqua illa;* quocirca *eorum quae* non possumus nisi genere neutro accipere, et verbum desideramus, quod cum *memoria* junctum *antiqua* perstringi ostendat, quale est *innovare.* Deinde hoc verbum intentius et gravius ideoque magis ad rem quam *renovare.* Obsecrant senatum, caveret, ne emortua paene memoria revivesceret, in vitam cogeretur redire. Enimvero nihil denique gravitate et acerba elegantia aequat has voces: in *Capitolio* et *foro Romano.* Nempe qua de re agitatur in senatu? Galli expetunt jus adipiscendorum in urbe honorum, ut ii scilicet *in Capitolio* sacra facerent, imperia auspicarentur, *in foro* jus dicerent, in tribunali sederent, quorum majores *Capitolium* assultaverunt, et in *foro* eos, qui curules magistratus gesserant, eburneis sellis sedentes, in sedibus suis trucidaverunt.

Ann. XI, 38.

Quum Claudii in Messalinam uxorem ira languescere, redire amor videretur, prorumpit Narcissus denuntiatque centurionibus et tribuno, qui aderant, exsequi caedem: ita imperatorem jubere. Custos et exactor e libertis Euodus datus. — Nuntiatumque Claudio epulanti perisse Messalinam, non distincto sua an aliena manu, nec ille quaesivit, poposcitque poculum et solita convivia celebravit. — Juvitque oblivionem ejus senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas; decreta Narcisso quaestoria insignia, levissimum fastidii ejus, cum supra Pallantem et Callistum ageret:

honesta quidem *sed ex* quis deterrima orerentur, *tristitiis multis.*

Corrupta haec, non mutila neque lacunosa; nam in codice quidem lacuna non est. Plerique lacunae signum ponunt;

unus Nipperdeius ausus est suspicari, exclamationem quandam scriptoris inesse huic quasi enarratarum modo rerum epigrammati. Rectissime ille, si quid video. Ac tamen vir doctissimus, Ernestii interpretationem dum sequitur, in errorem inductus est gravissimum. Expunxit enim duo integra vocabula *tristitiis multis*, quae nos vindicanda hac emendationis via aggredimur.

Inveteratae corruptelae habitationem et quasi castellum notavimus in voculis *sed ex*, quarum prior ex perperam intellecta particula *quidem* nata est, alteram necessario post se tractura. Quae depravatio, semel admissa, omnem emendationem eludebat, quia particulae isti vim concessivam ipsa per se communire videbatur. At habet nimirum vim affirmativam, quam suadeo sic ei restituas:

Honesta quidem *secla!*

Quippe erumpens animo ac pectore Taciti indignatio conjicit telum acerbissimae ironiae in istorum temporum homines, pariter inertes ac scelestos. — At enim justo liberius grassati sumus in parvulas istas voces. Haud, opinor, objicies, si audiveris, in Med. 1. diligentius etiam scripto extare III, 64 *sectum* pro *sedtum*. VI, 43 *haci* (sic!) pro *haud*, quod alibi *had;* simulque memineris non solum *i* et *t*, sed etiam *i* et *l* inter se confundi, exemplis fere innumeris, teste insuper Baitero has duas litteras in codice ita scriptas esse, ut vix discerni queant. Quod si documento est, librarios *ct, ci* vel *cl* pro *d* effingere falsos potuisse, quid mirum si vice versa aliquando *d* pro *cl* effinxerint? cf. Her. stud. crit. p. 105. et Ann. V, 6 ubi M. ex nova collat. Bekk.: *dementiam* pro *clementiam* exhibet. Adde XII, 22 *irex* pro *ira.*

Sed quid jam de reliquis? Corruptam esse vocem *multis* ipsa codicum varietas significat. Habet enim cod. Bud. *inultis.* Igitur si legamus: *tristitiis nullis* haud absonum videatur, quoniam in antecedentibus eam ipsam rerum faciem Tacitus depinxit: *ne secutis quidem diebus odii gaudii,* irae *tristitiae ullius denique humani affectus signa dedit* (Claudius),

non cum laetantes accusatores aspiceret. Verum quid nos? ecquid Tacitum credituri sumus Claudii maxime vili animo, vel paucorum pravitati abjectae succensuisse, de senatus populique torpore foedissimo non fuisse iratum? Hoc vero ille in primis, ut qui probe meminerit longe alia fuisse secla, quum post Germanici mortem auditam *ante edictum magistratuum, ante senatus consultum sumpto justitio* deserta sunt fora, clausae domus. Et proxima praecedit Senatus castigatio: *juvitque oblivionem ejus senatus.* Itaque nulla neque publicae neque privatae *tristitiae signa* apparuere; justitium neque sumtum, neque decretum. Quapropter confido stomachantem nostrum cum vi indignationis *nullis* ultimo loco posuisse:

Honesta quidem *secla*, quis deterrima orerentur, tristitiis *nullis!*

Et verto:

Treffliche Zeiten fürwahr, wo die schändlichsten Gräuel zu Tage kommen durften, ohne auch nur irgend ein Zeichen der Trauer!

Ann. XII, 65.

Narcissus Agrippinam magis magisque suspectans prompsisse inter proximos ferebatur; — et qui deinde sequitur locus pro vera cruce criticorum, interpretum, editorum habitus et multum vexatus virorum doctorum curis. Ut ceteros omnes taceam, Jacobus verba: *si Nero — meritum* Tacito abjudicans uncis inclusit; Nipperdeius contra verba *pares — causas esse* itemque *Britannico successore* ejici jubet ut spuria, e margine in textum translata. Doederlinus locum dicit obscurissimum et verba *nullum principi meritum* suspecta habet. Halmius peregrina importando succurrere studet: *Brit. succ. demoto* scribens. At vero Ritterus in omne futurum tempus nihil acturos canit, qui manifesta glossatoris vestigia in his verbis: *si Nero — meritum* non agnoscant. Quo praesagio non territi ad locum lenissima medicina persanandum et nova explicandi ratione vindicandum jam nos accingemur. —

Suspicor, *successore* mutandum in *successori*, cetera omnia salva esse. Quod ut facilius comprobare possim, exscribo locum ea interpunctione distinctum, quae mea sententia ei debetur:

certam sibi perniciem, seu Britannicus rerum seu Nero poteretur; verum ita de se meritum Caesarem, ut vitam usui ejus impenderet. Convictam Messalinam et Silium: *pares* iterum accusandi *causas* esse. Si Nero imperitaret Britannico successori, *nullum* principi *meritum*. Ac novercae insidiis *domum* omnem *convelli*, majore flagitio, quam si impudicitiam prioris conjugis reticuisset. Quamquam ne *impudicitiam* quidem nunc abesse.

Attendas velim animum ad verba insignita. Hoc unum est, quod Narcissus explicat: quare aliquid tunc sibi iterum *audendum* putaret, quemadmodum ausus est prius. Tres iterum ac pares causae sunt, ut antea; primum gratia Caesari referenda, deinde periculum Caesari imminens, postremo dedecus Caesarem dehonestans. Convicisse se ait Messalinam et Silium, solo pietatis impulsu; haec principalis causa fuerat; nulla scilicet neque ambitione neque lucri ullius studio bonus ille agitatus erat. At in Messalinae et Silii consortio fuerat alia ac duplex causa, quae *materiam* accusandi praebuerat; periculum ne Silius regnum invaderet et dehonestamentum flagitiosi adulterii. Confer ejusdem Narcissi delationem apud Caesarem XI, 30 *veniam in praeteritum petens — nec nunc adulteria objecturum ait*; et deinde *matrimonium Silii vidit populus et senatus et miles; ac ni propere agis, tenet urbem maritus.* — Pares iterum esse causas affirmat: nullum sibi erga principem meritum manere, si Nero Domitii filius imperitaret Caesaris filio Britannico, *legitimo successori;* at se impelli pietate, ut beneficiis a Claudio in ipsum collatis vel cum vitae periculo gratiam referret, bene mereretur de Caesare. Haec iterum principalis causa accusandi. Ac duplex est altera in novercae insidiis et praesentis conjugis dedecore.

Graviorem etiam materiam praebet majus *novercae* flagitium, quo illa non modo regnum inhiat sed omnem domum convellere parat, Caesari marito et Britannico privigno simul insidias struens. Non posse se ait bonus homo hoc tantum periculum ac flagitium tacere, postquam ne minorem quidem illam formidinem reticuisset, in impudicitia Messalinae positam. At hercle ne tertiam quidem causam abesse et nunc, quum conjux principis adulterum habeat Pallantem. —

Ita si locum exponas, non video quid amplius offensionis habeat. Acerbe dictum esse: *si Nero imperitaret Britannico* s u c c e s s o r i, simulque insigni illa brevitate, quae Tacito frequens, non est quod moneam. De *imperitare* cum Dativo casu cf. Ann. III, 26 *nobis Romulus ut libitum imperitaverat.* Alios loc. vid. ap. Boettich. lex. Tacit. s. v.

Omnis error et difficultas interpretandi inde manavit, quod putabant, Narcissum explicare causas, de quibus certam sibi perniciem exspectaret, seu Britannicus rerum seu Nero poteretur. Quo nihil a totius loci natura atque indole magis alienum.

Ann. XIII, 15.

Nero demovet Pallantem cura rerum, quis a Claudio impositus velut arbitrium regni agebat. Praeceps posthac Agrippina ruere ad terrorem et minas: — adultum jam esse Britannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio:

> Turbatus his Nero, et propinquo die, quo sextum decumum aetatis annum Britannicus explebat, volutare secum modo matris violentiam, modo ipsius indolem, *levi quidem* experimento nuper cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset.

Freinshemii conjectura haec est, quam recentiores omnes receperunt, praeter unum Orellium, qui lectionem cod. M. *ut quidam* cum corruptelae signo typis exscripsit. Et sane, si diligentius et altius sententiam et loci rationem ex-

ploraturus sis, subeat aliqua eaque haud levis dubitatio. Etenim quis unquam satis credat, Neroni nuper demum indolem Britannici et forte cognitam? non diu potius eum suspectum et custoditum fuisse, cui scelere matris imperium ereptum sibique traditum ipse conscius erat? Nam hoc affirmant et coguntur affirmare, qui emendationem *levi quidem* tuentur. Atqui erat Nero Britannico intentus; ex ipso hoc experimento *irrisum pueri sperabat.* Quo illud, nisi ut frangeret ejus indolem ac spem imperii profligaret? Et attende, quod paullo infra legitur: *nam ut proximus quisque Britannico neque fas neque fidem pensi haberet, olim provisum erat.* Nonne id vero esset uno spiritu idem negare, idem affirmare? Deinde, ut nuper demum cognovisset, qui poterat Tacitus tam leviter et quasi negligenter eam rem attingere, quae Neronis animum ut novum aliquid et insperatum vehementissime movere, percellere debebat? Denique qui poterat *nuper* eo loco ponere quo est? nonne debebat saltem scribere *modo ipsius indolem, nuper levi quidem experimento cognitam*? Nolo urgere, quod Orellius contradicit, leve non fuisse hoc experimentum. Quanquam negari non potest, et Neronem gravius aliquid temptasse et Britannicum, licet per ludicra, graviorem sententiam protulisse, quam quae pro joco et posset haberi et haberetur convivis. Quid quod Nero inde non seriae, sed cruentae meditationis materiam sumpsit!

Quibus de causis non cum Doederlino credo, acquiesci posse in Freinshemii conjectura, neque quod ipse suspicatur, satisfacere videtur. Majus et significantius vocabulum requiritur ad Britannici indolem denotandam, quam *vividus*.

Itaque ad virorum doctorum judicium hanc confero emendationem:

> Nero — volutare secum — modo ipsius indolem, *ut diu clam*, experimento *nuper* cognitam, quo tamen favorem late quaesivisset.

Et explico: „indolem, quam, diu quidem clam perspectam, nuper etiam experimento comprobatam invenisset; quod qui-

dem experimentum per se nihil sollicitae curae afferret, nisi eo, quamvis ipsi principi infesto atque infausto, *tamen* favorem late Britannicus quaesivisset. Nam *invidia demum intellecta* Nero *odium* semper habitum *intendit*, et quia nullum crimen neque jubere caedem fratris palam audebat, occulta molitur.

Quod attinet ad mendi rationem, confer quae adnotavimus ad XI, 38. Pari emendatione recte Halmius, ex parte Gutmannum secutus, Agric. 36 restituit *aegre clivo adstantes* pro *aegre diu aut stante.* Quamquam, propius tenens codicis scripturam, equidem malim *clivo instantes;* rettulit enim Tacitus, haesisse cohortes inaequalibus locis. — Sed alium etiam in Agricolae vita locum, qui multum adhuc vexavit interpretes, hac ipsa ratione emendare ita potes, ut ad consuetam Taciti perspicuitatem nihil amplius desit. Legimus enim c. 19:

> per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta *ac ludere* pretio cogebantur.

Ingeniosissima quidem Thierschii interpretatio, qui lectionem *vendere* ex Puteolano desumptam, tuetur; sed tamen haesitat in locutione *vendere pretio*, cui non potest vir clarissimus non addere de suis: scil. *definito.* Nonne igitur praestabit hanc ipsam notionem ex corruptis *ac ludere* elicere? Fortasse enim fuit aliquando: *eduto*, unde mox *ac ludē*, postremo *ac ludere.* Scribe:

> assidere clausis horreis et emere ultro frumenta *edicto* pretio cogebantur.

Ann. XIII, 26.

Actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversus male meritos revocandae libertatis jus patronis daretur. Nec deerant qui censerent:

> Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen *Icsensum* senatus, ille an auctor constitutionis fieret *ut inter paucos et*

> *sententiae adversos:* quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, *uine* an aequo cum patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, *impulere* vel poenam suam dissuadentes.

Sic M. Locus a Lipsio inde conclamatus; a recentioribus editoribus Nipperdeio et Haasio tam male mulcatus transponendo mutando expurgando, ut vix agnoscas codicis verba. Et tamen ille, ex Waltheri postulatione et collato loco XIV, 49 post *senatus* interpunctione maxima sententiam concludens, primus omnium vidit, de consultatione apud Caesarem, non de perscriptionis argumento agi. Quod miror non tantum Jacobum et Seyffertum sed nuperrime etiam Halmium fugisse. Quippe in eo summa quaestionis et omnis loci salus posita. Enimvero, si haec putaveris perscripta ad principem, nunquam iis quod debes conciliabis, quae sequenti capite continentur. Quomodo enim explicabis illa: *disserebatur contra* in principio et illa: *haec sententia valuit scripsitque Caesar* in fine orationis posita?

Nipperdeius venenum pro medicina adhibuit loco, quia veram sedem et naturam mali non probe intellexit. Neque enim miraculo confusionis est adscitum neque sedem habet in lacuna aliqua post *aequo* statuenda aut in vocula *suam,* qua nihil sanius atque innocentius. Duo minora vitia ab aliis jam correcta. Nam post *eo prorupisse* sequi oportere *ut* nemo est quin cernat; quamquam non inserendum, sed e cod. scripto *uine* ipso depromendum censuerim. Tacitum puto *ut vi an aequo* scripsisse, suo more elliptice (cf. Boett. lex. Tac. s. v. *sive*); certe nusquam me ita *ne*-*an* particulas ab eo usurpatas et conjunctas legere memini. Quod autem pro *impulere* recentiores *impune* reposuerunt, haud admodum placet; praefero ms. Agr. *impudenter,* quoniam toto loco de irreverentia et cavillatione servorum exponitur. Neque assequor, quid eo vocabulo laedaris, si sequentem particulam *vel* accipias pro *etiam, adeo.* Tanta est, illi disserunt, libertorum irreverentia, ut cavillatio et audacia in impudentiam abeat

eam, quae adeo ipsorum poenam propriam, legitimam, mire scil. per leges et unice concessam dissuadeat. Eam enim esse, pergunt, relegationem in felicis Campaniae oram laetissimam. Igitur nullum prorsus telum patronis in manumissos relictum, quod sperni nequeat.

At haec leviora; letiferum malum, ni miro oculorum ludibrio inducor, voculis *ut inter* inhaeret, ac tollitur cum radicibus, si scribas *utitur*. Praepositio *inter*, semel temere inlata, contagio infecit sequentes voces *paucos*, *adversos*. Jam lege:

Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen ei consensum senatus. Ille, an auctor constitutionis fieret, utitur paucis et sententiae adversis: quibusdam coalitam libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus, ut, vi an aequo cum patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent etc.

Haec postquam ex *paucis* illis *quidam* disseruerunt, recte noster pergit: *disserebatur contra.* Nempe *adversi* erant *sententiae*, quorum consilio princeps utebatur. Qui et ipsi quum suam sententiam exposuissent, *haec sententia* valuit *scripsitque Caesar senatui.* Reviviscunt ita et convalescunt, quae paene desperata videbantur.

Pari contagio praepositio *inter*, ex genuino vocabulo depravata, infecit alterum locum, quem afferre libet ex *Germ. 21*:

Victus inter hospites comis.

Sic ibi legitur, postquam de comitate Germanorum in excipiendis hospitibus copiosius expositum fuit et jam de abeuntibus hospitibus mentio est. Memorat Tacitus: *abeunti, si quid poposcerit, concedere moris est.* Quamobrem adducor ut suspicer ac prope confidam, addita fuisse haec:

Rectum in iter hospites comitant.

Ita et res narrata suam habet ac propriam, quam poscit, conclusionem neque opus erit, ut ea verba cum Halmio et Haasio uncis secludamus, tamquam peregrina, ex barbarie

importata; civitate potius suo jure donabuntur. Quod autem Thierschius censet*), vir clarissimus et mihi quoque, ut multis, pia veneratione colendus, suspiciendus, admirandus, Ernestii et Doederlini transpositionem uncis Gerlachii praeferendam esse, ei sententiae equidem adstipulari non possum, quia paulo ante legimus eodem fere sensu: *pari humanitate excipiuntur* sc. hospites, cum proximam domum non invitati una adeunt. Et corruptela facilis est expeditu: pro *rectum in iter* scriptum puto fuisse compendiose *rectũ m iter;* postquam ex *iter* factum est *inter*, etiam *comit˜* non pro verbo sed pro adjectivo *comis* acceptum et *rectũ* perperam solutum in *rectus*, unde mox *victus.* Quo de vitii genere vide quae adnotavimus ad Ann. I, 15. — Ex falsa ejusdem compendii solutione licet etiam confirmare Spengelii emendationem ad Tac. Dial. 19. *narrationum* pro *narrationis*, quoniam illud propter concinnitatem, quod ait vir celeberrimus, cum multitudinis numero in *principiorum* et *divisionum* flagitari admodum probabile sit.

Ann. XIII, 41.

Artaxata, caput Armeniorum, a Corbulone duce Romano capta deletaque et solo aequata sunt:

> Adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta *extra tectis actenus* sole illustria fuere *quod repente moenibus cingebatur ita atra* nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.

Haec corrupte M. Quae diu pro vulgata fuit lectio, a Lipsio profecta, *tectis tenus* nuper ab Halmio recepta est; non magis mihi quam Walthero perspicua. Alii alia tentaverunt; omnes frustra, quia cum vitio obscuritatis, quum Tacitea oratio ubique si non plana at perlucida sit. At enim corrige:

---

*) Münch. Gel. Anz. 1850. p. 112.

> nam cuncta extra *Artaxatis ac intus* sole illustria fuere.

Hoc dico: librarius aliquis in vocabulis *extra artaxatis* (quod potuit corrupte scriptum invenire *artextis*) geminationem *ra ar* suspicatus hanc syllabam omisit et effinxit *tectis*. Deinde *actenus* frequenti transpositione litterarum pro *ac intus*, ut XV, 54 *suscipio* = *suspicio*. De sollemni oppositione *extra ac intus* cf. Caes. B. Civ. III, 69 *quum extra et intus hostem haberent*.

Sed etiam, quae Rhenanus correxit, paullo aliter reficienda esse putabis, si transpositionis remedium inter gravissima numerare religiose consueveris. Etenim quid audacius, quam raptim sua sede exturbatam voculam *repente* inter alienigenas *ita* et *atram nubem* ponere, horrida utrimque vicinitate? Lubentius credam, particulam *quod* pro dittographia habitam post *repente* intercidisse, quia ante *repente* exaratum fuit *quō*, sive *qō* i. e. *quum*. Unde totum locum sic a Tacito exhibitum nobis malim:

> Adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra *Artaxatis ac intus* sole illustria fuere, *cum* repente, quod moenibus cingebatur, *ita* atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.

Ann. XIV, 8.

Anicetus, qui summam sceleris poposcit ac suscepit, Agrippinae caedem perpetraturus villam statione circumdat, refractaque janua obvios servorum abripit, donec ad fores cubiculi veniret; cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis:

> Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio ac ne Agerinus quidem *aliam fore lateret faciem nunc* solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. abeunte dehinc ancilla, „tu quoque me deseris“ prolocuta, respicit Anicetum.

Sic cod. M. Locus multorum medicamina expertus necdum persanatus. Quae nunc recentissimis editoribus pro vulgata est: *aliam fore laetae rei faciem*, ea debetur lectio Bezzenbergeri et Heinischii curis. Quam admodum speciose inventam esse concedo, vere inventam nego, licet Halmius eam laudet *) ut emendationem paene evidentem. Tuli sententiam, jam probabo; non virorum illustrissimorum laudi detractaturus, sed quia Tacito meliora cupiam.

Duo sunt, in quibus offendo. Et primum quidem infinitivus *fore*, qui nostro loco, ut recte Hoeferus adnotavit, obstinate repugnat. Deinde alterum, quod majus est: intempestive abrumpitur et pervertitur oratione obliqua, quam vocant, tali modo inlata totius rei ac tanti discriminis concinna descriptio sive potius splendidissima pictura. Etenim vide: narrata sunt ante, quae foris acta sunt: Anicetus circumdat villam, januam refringit, abripit servos obvios, penetrat ad cubiculi fores. Jam sequuntur, quibus depingitur, qualis, antequam et dum illa fiunt, in cubiculo ipso fuerit rerum status. Modicum lumen; magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio, ne Agerinus quidem — abeunte *dehinc* ancilla respicit Anicetum. Et mediis in his talem fuisse considerationem? Non credam, sive tacitam illam sive verbosam praeceperis. Et quid tandem aut sibi aut ancillae dixerit infelix illa, magis ac magis anxia? aliam fore laetae rei faciem? nunc quidem esse solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia? Ut haec dicta essent, non ita debebat neque hoc loco scriptor referre. At non dicta sunt, neque potuerunt ita dici. Licet enim concedam, dixerit Agrippina: haec non est laetae rei facies, attende, ecquid audis? repentini strepitus! at haec vero sunt extremi mali indicia! — non tamen potuit dicere *en solitudinem!* et *nunc* solitudinem!

Quid multa? Legendum est:

Cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una; magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a

*) Jahn, Jahrbb. f. Phil. 1849. p. 393.

> ***filio ac ne Agerinus quidem; at jam fores atrii fractae miscent solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. abeunte dehinc ancilla — „tu quoque me deseris“ prolocuta — respicit Anicetum.***

Quae emendatio ipsa se videtur tueri posse. Tamen vide de verbo *miscere* Tacito, ut aliud nullum, frequentato hos locos: Ann. I, 7 *lacrimas, gaudium, questus, adulationes miscebant.* III, 22 *adeo vertit ac miscuit irae et clementiae signa.* III, 67 *ausis ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.* IV, 68 *tanquam vetita miscuissent.* XIV, 36 *exhortationes et preces miscebat.* XV, 28 *uterque dextras miscuere.* XV, 68 *consilia cum Vestino non miscuerant.* XVI, 17 *mixta inter patrem filiumque conjurationis scientia fingitur.* Hist. III, 74 *minas adulationesque miscet.* V, 22 *cuncta clamoribus miscebant.* Agric. 24 *siquidem Hibernia — valentissimam imperii partem magnis in vicem usibus miscuerit.* Alii loci in promptu sunt multi. Verba autem corrupta sic discernenda putavi, ut ex *aliam fore lateret faciem nunc* primum fieret:

	al	*iam*	*forel*	*ateret*	*facie*	*mnunc*
deinde	*at*	*iam*	*fores*	*atrii*	*fracte*	*miscent*

tanquam genuina scriptura prodiret. cf. XIV, 31, ubi item *facti* pro *fracti* in codice exaratum.

Ann. XIV, 16.

> **Ne tamen ludicrae tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas necdum insignis *aetatis nati* considere simul, et allatos vel ibidem repertos versus connectere atque ipsius verba quoquo modo prolata supplere.**

Multum curae huic loco sanando impenderunt viri docti; infeliciter omnes judice Walthero, quem vide. At idem ju-

dicium quum non effugerint Seyfferti, Bezzenbergeri, Ritteri conjecturae, ea autem, quae recentissimi editores legenda perhibent, nec ipsa satis convenire loco videantur, novum emendandi periculum facturi statim exploremus loci naturam. Et primum quidem id constat inter plerosque, a *considere* non satis commode incipere novam sententiam; arcessendum igitur e *nati* subjectum, quod vocant, *ii* vel *hi*. Deinde velim concedas, non deesse posse nostro loco verbum suum conjunctivo modo post relativum *quibus* proferendum. Invenies in syllaba *aet*, quod scriptum fuisse puta *ēet* i. e. *esset*. Verum plura etiam exposcit et numerus orationis et sententiarum oppositio. Igitur concludo: quemadmodum vocabulum *aliqua* suum habet oppositum *insignis*, sic habeant necesse est vocabula *pangendi* et *facultas*. Quid autem nobis restat ex istis codicis ruinis *aetatis nati?* Nihil praeter: *atisna*. Et inde duo vocabula elicere? Fortiter eliciemus neque vi utemur magica. Nimirum qui *pangit* versus, quis eum dicat *artificem?* Inter operas *contractas* numerandus est; procul absit ab *arte* Apollini sacra! Quid enim iste *sciet*, neque ullo divino instinctu correptus neque a vate quoquam vero edoctus? Insignem, inquam, non tenebit *artis scientiam*, quamvis habeat aliquam *pangendi facultatem* postquam initia et quasi elementa artis didicit, numerorum scilicet leges, nihil ultra. Cf. etiam quae Rothius ad hunc locum disseruit*): „nec enim pangendi facultas est indoles poëtica; carmina pangere aurium quidam et manuum atque oculorum, non ingenii labor est.“ Itaque legendum esse confido:

> *contractis, quibus aliqua pangendi facultas, necdum insignis esset artis scientia. Ii considere simul etc.*

Quam sine ullo labore librarii *artis* depravare potuerint in *atis*, manifestum est. Sed quomodo ex *scientia* factum sit, quod reliquum est *na*, demonstrabo. Memini, in Med. 2.

---

*) Emend. tacitinae. Progr. Noriberg. 1833.

regnare compendiorum libertatem; ita XI, 5 legitur *ōs* et *ōms* pro *omnes*; XV, 25 *inhosta* pro *inhonesta*; XV, 35 *ep̄lis* pro *epistulis*. cf. etiam IV, 12 *sp̄s* = *spiritus*, aliis locis alia multa. In archetypo fuerunt haud dubie ejusmodi compendia. Ergo quidni poterat etiam *scientia* compendio exaratum inveniri = *sc̄ia*; praesertim quum ex oppositione sententiarum vix aliam vocem hac sede suspicari possis? Jam vide: *s* ex *sc̄ia* absorptum est praecedentis vocabuli fine; *cia* autem mox et facile in *na* corruptum cum *ii* = *naii* monstrum illud *nati* peperit.

De locutione cf. Ann. VI, 20. *scientia Chaldaeorum artis*. Cic. Or. I, 6. *omnium rerum atque artium scientiam consequi*. Tac. Dial. 32. *multarum artium scientiam*.

Haec quum scripsissem, ex Halmii praefatione postmodo cognovi, nostrae similem emendationem etiam Oelschlaegerum proposuisse; neque tamen repperi, quibus ille scriptis. Nam in programmate Suevofurt. 1844 non est et Halmius omisit, quo loci edita sit ea emendatio, significare. Legendum autem censet vir doctissimus: *necdum insignis artis peritia. Considere simul etc.*

Ann. XIV, 58.

Plauto, nuper in Asiam amoto, parari necem non occultum fuit; — ceterum libertus Plauti celeritate ventorum praevenit centurionem et mandata L. Antistii soceri attulit:

> Effugeret segnem mortem *otium* suffugium et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces.

Halmius verum sagacissime investigavit *) ac tantum non pupugit. Facile enim post illum colligas legendum esse:

> Effugeret segnem mortem *sontium*: suffugium *ex* magni nominis miseratione reperturum bonos: consociaturum audaces.

---

*) Jahn, Jahrbb. f. Philol. 1849. p. 394.

Halmius suspicatus erat: *segnem mortem, sontium suffugium: ex magni nominis — bonos, consociaturum audaces.* Sed abjecit, ut qui, puto, intelligeret, neque *suffugium* ad *mortem* neque *sociaturum audaces* ad *miserationem* referri ullo modo posse. Ea, quam notavimus, interpunctione posita salvus locus videatur esse. *Sontium* est, segnem mortem non effugere, imminentem caedem exspectare, insontes viros decet, periculum, crudelitatem fortiter depellere; si necesse sit, gloriosa potius quam turpi morte perire. Et frequentantur Tacito vocabula *sons* et *insons* in tali rerum discrimine. cf. Ann. XV, 44 *quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos.* — Deinde hoc ipso capite: *clari atque insontes si interficerentur.* Ann. III, 67 *multa adgerebantur etiam insontibus periculosa.* VI, 48. *Balbus promptus adversum insontes.* XIII, 33 *tanquam insonti periculum fecissent.*

Boni rursus sunt vero *suffugium* miserorum eosque reperire est reperire suffugium, quo innixus quis ac defensus, consociatis audacibus, belli fortunam tentare possit non sine spe magnarum rerum et prosperi successus. Ad hanc igitur ingrediendam salutis viam Antistius hortatus est generum Plautum, Juliae domus stirpem Neroni suspectam et formidatam. Ad *suffugium* cf. Ann. IV, 66. Germ. 46.

Ac tamen ita legere haud satis placet, quia sententiarum numerus, qui in Tacito maxime spectandus est, male decurrit. Itaque existimaverim incisa ante *reperturum* verborum continuatione ab hoc vocabulo incipiendum novum articulum orationis, ut *reperturum bonos, consociaturum audaces* ex aequo invicem sibi respondeant. Quod ut fieri possit malim legere:

> Effugeret segnem mortem: *insonti* suffugium (sc. esse) *ex* magni nominis miseratione: reperturum bonos, consociaturum audaces.

Syllaba *in* absorpta est praecedenti littera *m; sōti* propter sequentem aequalem sonum adsimulari poterat voci *suffugium* ita, ut abiret in *sotium,* postremo in *otium.*

Cf. Ann. XV, 17. *conquerentium inritum* pro *conquerente inritum* XIV, 45 *innocentium miserantium* pr. *innocen-*

tiam miserantium. XVI, 23. *increpatium quam nunc silentium* pr. *increpantem q. n. silentium.* cf. etiam *et ipsa pars* pro *et ipse pars* XV, 72. all. ll. Probabile vel inde est, quod Spengelius ad Dial. 19 suspicatur, Tacitum scripsisse *multa divisionum ostentatio*, non *multarum.* Saepe enim librarii proximarum terminationum aucupes.

Ann. XIV, 59.

Rursus hic ostendam studium vitandae dittographiae quam late regnet in nostro codice, et quam commode, hoc concesso, haud paucos emendare liceat locos corruptos. Tres afferam insigni specimine:

> Ann. XIV, 59. Caput interfecti (Plauti) relatum; cujus aspectu — ipsa principis verba referam — „*cur*, inquit, *Nero*," et posito metu nuptias Poppaeae, ob ejusmodi terrores dilatas, maturare parat.

Dio Cassius LXII, 14 principis verba sic exhibet: *οὐκ ᾔδειν, ἔφη, ὅτι μεγάλην ῥῖνα εἶχεν.* Talia solent ad verbum tradi vel saltem eo vocabulo servato, in quo sales sunt conspicui; neque est, cur debilitatam salse dicti summam a Tacito aut Dione suspiceris. Nam ille diserte promittit, ipsa verba se relaturum, et Dionem constat Taciti diligenter memorem esse. Facillime autem inter se in eo vocabulo conciliabuntur, cui maximum pondus inhaeret, si fingas tibi, syllaba praecedente *ram* priorem partem absorptam ejus vocabuli, cujus altera pars in *cur* restat. Ita fere scriptum fuit:

> *referamqamcur*, q. e. *referam quantus.*

Expulsa syllaba *qam*, quoniam in interrogatione non intelligebatur vox *naso*, ea mutata est in *Nero.* Legendum igitur:

> cujus aspectu — ipsa principis verba referam — „*quantus*," inquit, „*naso!*" et posito metu etc.

Simili ratione usus Halmius, vir et doctissimus et sagacissimus, ante hos sex annos egregie locum refecit in Ne-

potis Epaminonda. Dum Appiani enim graeca verba comparationi adhibet, *periculum* barbarorum ore male conspicuum transmutavit in latini hominis consuetum „*sepulcrum.*“ *Ut in sepulcro suo inscriberent*, petivit Epaminondas: sane; si praeter Appianum alterum testem requiris, habes Aelian. v. h. XIII. c. 42 *ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ ὅτι μὴ βουλομένους Θηβαίους* etc. — Et tamen hanc egregiam, evidentissimam ac vere palmariam Halmii emendationem quis credat hodieque neglectam ab editoribus, necdum receptam esse? Quid quod in Klotzii adeo Lex. L. L. vel ante hunc ipsum annum denuo repetitum vides barbarum illud: *periculum*, Verurtheilungsdecret. Et in Eicherti etiam nuperrima editione his ipsis diebus eadem olera recocta! Vera nimirum sunt, licet parum jucunda, quae Spengelius, vir cum ceteroquin clarissimus tum criticae artis experientissimus, hisce monuit*): „in critica arte exercenda saepe fit, ut nisi singula scriptoris verba magna cum cura expendantur, ab aliis egregie inventa negligantur.“ Quanquam haec tali negligentiae minus, quam oblivioni et securitati injuria referenda est.

Alter locus est sequenti capite, cui et ipsi iterum lacunae signum apponunt editores, criticorum labores frustra consulturi accedunt:

> Ann. XIV, 60. inde crebri questus (sc. quia Octavia conjux a Nerone in Campaniam pulsa erat) nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, ex mediocritate pauciora pericula sunt. *his quanquam* Nero poenitentia flagitii conjugem *revocavit* Octaviam. exin laeti Capitolium scandunt etc.

At vero *non* revocavit. Pone monstrum fuisse scripturae in aliquo antiquo codice, quod geminationis expungendae speciem praebebat; hanc fere:

> Hisq;uamamotatanquam Nero

---

*) Spec. emend. in Corn. Tac. p. 9.

et intelliges, quomodo abjectis, quae videbantur superflua, ortum sit:

> Hisqua . . . . . nquam Nero

Non igitur audacis erit, Tacito sua restituere, dum ex illo monstro humanam faciem prodire sic jusseris:

> Hisq; *uama mota, tanquam* Nero poenitentia flagitii conjugem revoca*verit* Octaviam. Exin laeti etc.

Confirmatur, quod conjecimus, lectione cod. Agr. nec non codd. Guelf. Harl. Bodl. Jes. qui omnes vocem *motus* exhibent. *fama* autem saepe littera *u* scripta reperitur. Ceterum confer c. 58 *tempus interjectum moverat famam.*

Tertium denique exemplum habes Ann. XV, 38. Describitur atrox illud urbis incendium:

> ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa *aetate* aut rudis pueritiae aetas, quique sibi quique aliis consulebant etc.

Halmius cum Doederlino et Orellio uncis seclusit *aetate*; Nipperdeius exturbavit vocem *aetas*, ut feminae scilicet essent aut fessa aetate aut rudis pueritiae (nam nemo unus certe cogitando additurus esset *homines*, qui, sicut *lamenta* — *quique*, ipsi erant appellandi); — Haasius adeo *feminarum, aetate, pueritiae,* tria simul verba tanquam peregrinos quosdam nebulones capitalium criminum suspectos in custodiam inclusit; Ritterus ex conjectura: *fessa aevo*; admodum languide. At quid tandem, quaeso, impedit quominus fortiter reponamus *senectute?* Extat in cod. XIII, 35 *sectus* pro *senectus.* Quid igitur proclivius, quam priorem syllabam *se* post *fessa* (*fes sase ctute*), ut dittographiae poenas lueret ejectam esse? Nam *ctute* facile videri poterat esse *etate* i. e. aetate. Et exposcit sententiae concinnitas magno clamore hoc vocabulum, ut *pueritia* habeat, cui ex opposito respondeat. Lucan. III, 724 *fessus senecta.* Stat. Silv. III, 3. 14. *fessique senectus longa patris.* Cic. de Fin. V, 11. *Homines senectute confecti.* Tac. Hist. III. 65 *invalidus senecta.*

Ann. XIV, 61.

Exin laeti Capitolium scandunt deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus foroque ac templis statuunt. Itur etiam in principis laudes *repetitum venerantium.* jamque et Palatium multitudine et clamoribus complebant, cum emissi militum globi verberibus et intento ferro turbatos disiecere. Mutataque quae per seditionem verterant, et Poppaeae honos repositus est.

En habes saevissimae tyrannidis imaginem acerbe festivam! Populus it in principis laudes, honestum facinus in eo suspicans, complet etiam Palatium faustis laetisque clamoribus et tanquam seditionem moliretur, militum globis disjicitur. Una macula est huic nitidissimae picturae a quodam penicillo tectorio adspersa, quam quis est quin cupiat tandem tolli? Sed non ita recte tollitur, ut pro glossemate cum Nipperdeio et Haasio habeas verba *repetitum venerantium*, uncis secludas, denique exstirpanda censeas. Sagacius et cautius Doederlinus locum leviter tantum mutilum judicat; quanquam ne mutilus quidem, sed corruptus idque haud gravi vitio videtur esse. Quaecunque autem sententia in his verbis latet, carere locus ea non potest, quia inter *itur etiam* et *jamque complebant* medius quidam articulus orationis, conciliandi potestate insignis, desideratur ac requiritur. Cui quidem articulo non potest verbum non inesse finito quod dicunt tempore positum, et ne erremus vel incerti haesitemus, quo illud sensu, qua vi debeat esse, si restituere velimus, habemus certissimam ducem particulam *et* ante *Palatium* constitutam. Ea enim digito quasi monstrat verbum *complebant*, et restituendo verbo si non eandem at simillimam significationem constanter asserit.

Haec ego signa intentis oculis secutus, sive potius quod mihi contigit in ἕρμαιον quoddam incidere, magna laetitia affectus sum, cum veram et unicam emendationem ultro offerri viderem, quae pulcherrimae isti picturae omnem suum ac

proprium splendorem redderet. Quod inventum jam cum viris doctis communicabo, non dubitans, quin et ipsi mecum laetaturi sint ut in causa Tacitea.

Igitur lege:

> Itur etiam in principis laudes; *strepit iter vi venerantium;* jamque et Palatium multitudine et clamoribus implebant, cum emissi etc.

Non verbum addo; haec sunt salva, si quidquam in nostri libris, neque meo id merito, sed Tacitina immortalitate.

Ann. XV, 51.

Conjuratio facta est in Neronem. Epicharis quaedam incertum quonam modo sciscitata accendere et arguere conjuratos: ac postremo lentitudinis eorum pertaesa et in Campania agens — cum Volusio Proculo, chiliarcho in classe Misenensi consilia miscet:

> Ergo Epicharis plura, et omnia scelera principis orditur: *neque senatui quod manere:* sed provisum, quonam modo poenas eversae rei publicae daret. accingeretur modo navare operam etc.

Sic M. Orellius satis habet locum notare ut corruptum. Et Waltherus plerosque ait eorum, quorum attulit conjecturas, incassum conjectavisse; quod idem fere judicium de recentiorum emendationibus ferendum videtur. Nam aut tautologiae aut languoris aut denique obscuritatis crimen nulla satis effugit. Inde nobis animus, alia aggredi via, quam hisce praemissis communiemus.

Epicharis, hortatura chiliarchum, ut coeptae et mox auctae conjurationis socius fiat, non potest nisi talia proferre, quae hominis animum stimulent, incendant, confirment. Igitur non ex re esset, si de ignavia senatus loqueretur. Sed de senatu eam in his mentionem fecisse, ex sequentibus liquet. *Scelera* principis per se non indicant *eversam rempublicam,* cujus poenas ei dicit jam provisas esse. Flagitat nexus sen-

tentiarum medium aliquod membrum, quo oratione vehementer commota mulier principi exprobraverit rempublicam eversam. Quidquid tentaveris, in irritum cadet, nisi hoc praesumseris. Haec ego mecum et ita iterum inspexi verba corrupta et sic conclusi: *manere* est *maneret;* probabile id ex praecedente *quod.* Reliquum: *nequesenatui;* prospero fortasse successu emendabis, si eadem ratione utaris, qua tot menda in codd. M. sublata sunt, commoda scilicet divisione vocabulorum in unum conflatorum. Quid si fuerit *n eques senatus?* Jam particula *an* sponte ex latebra prosiluit. Quam apte haec legantur, vide:

> *Ergo Epicharis plura: et omnia principis scelera orditur: an eques, senatus, quod maneret: sed provisum quonam modo poenas eversae reipublicae daret. Accingeretur modo etc.*

Equitum et senatorum ordines iracundius ac vehementius expostulat mulier in foedissimam servitutem et omnia flagitia a principe usque adeo depravatos, ut nulla prorsus eorum decorum ac praesidiorum reipublicae reliqua sit species. Inde *eversae reipublicae* poenas daturum. — De genere vitii vid. Heraeum stud. crit. p. 45. — Ad rem confer XII, 60; ibique praesertim: *equitum Romanorum praevalida nomina referre nihil attinuerit, cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequaverit.* De Neronis infamia et corrumpendi ordines studio cf. potissimum XIV, 15. *Equites* cum *senatu* etiam XIV, 20. conjuncti appellantur ab iis, qui perversos saeculi mores queribunda voce perstringunt: *an justa augurii* (sc. senatores seu proceres Romanos) *et decurias equitum judicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent?* — Ceterum usurpavit Tacitus singulari *eques* de equitum ordine aliis quoque locis. cf. Ann. I, 7. *Romae ruere in servitium consules, patres, eques.* Ann. IV, 74 *eo* (in Campaniam) *venire patres, eques, magna pars plebis.* Et locus ad hanc ipsam conjurationem spectans habet XV, 48 *senatores, eques, miles.*

Lubet jam occasione semel oblata in fine hujus scriptionis plura etiam, quae comparata habebam, promere et ad virorum doctorum judicium conferre; ita tamen, ut propter chartae angustias aut nullis aut paucissimis verbis sint tutanda.

Ann. I, 10. Fortasse scribendum: *sine taedio et Vedii Pollionis* luxus; ut probrum in Augustum cadere liqueat. Finge scriptum fuisse: *cjue.*

Ann. I, 25. quotiens oculos ad multitudinem sedtulerant. Lege: *ad multitudinem coetus (cet') tulerant.* Cf. I, 17. *coetus miscere.* Her. p. 100. adn. 64.

Ann. I, 32. quod nunquam disjecti, nil paucorum instinctu. Ita malim pro *neque.* Potuit hoc oriri ex compendio *nuq̃* i. e. *nunquam.*

Ann. I, 79. spectandas etiam religiones sociorum. Praestare videtur legere: *cultorum,* i. e. illorum qui amnes accolunt. *Cultores* apud Tacitum sunt *ruricolae* (opp. *oppidani*). Ann. XII, 55. *vim cultoribus et oppidanis audebant.* cf. XII, 61. Germ. 28.

Ann. III, 11. Suspicor, propter opinatam dittographiam repetita vocabula *haud alias* ejecta esse, iisque restitutis legendum: *Ac premeret is haud alias intentior, populus haud alias plus sibi in principem — permisit.* Tiberius erat *intentus,* populus i. e. omnis civitas erat *arrecta.*

Ann. III, 12. Haud absonum fuerit legere: *et privatas inimicitias nomine principis* (sc. Germanici) *ulciscar.* Recte Rothius offenderat in *vi* principis*). Potuit compendium *nom̄* i. e. *nomine* facile pro *noui* a librario accipi.

Ann. III, 35. Lege: *et consensu adulantium haut victus est;* i. e. tam facile se vinci passus est, ut ne vinci quidem videretur; quasi diceret noster: consensu adul. facile victus, immo haud victus est. Nam *adjuvari* Blaesum quid opus erat, intentius se excusante Lepido et manifesta principis voluntate?

---

*) Münch. Gel. Anz. 1836. p. 285.

Ann. III, 47. In mentem venit: *si una alterave civitas turbata misceat urbem, unde in omnia regimen.* De verbo *miscere* cf. quae adnotavimus ad XIV, 8; et praesertim Agr. 24.

Ann. III, 66. Legendum censeo: *obscura initia impudentibus ausis prope eluebat* sc. ex hominum memoria. cf. I, 43 *eluant hanc maculam.*

Ann. IV, 51. Proxima sponte incorum recepta. Sic Ms. Vulgo: *incolarum.* Praefero: *jugorum;* de castellis enim rupibus inditis (cf. c. 46) agebatur, et quae sequuntur, *vis* et *obsidium*, minus bene ad *incolas* quadrant.

Ann. XI, 16 cujus si filius — in regnum venisse posse. Testimesci; quae cod. verba corrupta vulgo mutant in: *venisset, posse extimesci.* At ego crediderim legendum esse: *hostem aestimandum.* Nimis friget illud *posse.* Et sequentia *hostem* demonstrant.

Ann. XI, 22 de se noni . . . conscios non edidit. Lacuna tredecim litterarum, quam suadeo sic expleas: *nominatim confessus conscios non edidit. Confessus* propter sequens *conscios,* velut dittographia esset, potuit omitti. Itemque *nōī* et *natī* inter se simillima sunt.

Ann. XI, 27 audisse auspicum verba, subisse, sacrificasse apud deos. Probabile videatur: *vovisse, sacrificasse;* ut auspices, vota, sacrificium rite nuptam omnibus rebus Messalinam testentur.

Ann. XI, 28 dum histrio cubiculum principis exultabero. Lege: *vitiaverit.* Nam *ex* videtur geminatione syllabae *is* contractum. cf. XIII, 42. *corrumpere cubicula.*

Ann. XI, 30 quae idem opperiens adstabat. Aut explica: quae *idem* sc. *secretum* ut daretur, opperiens adstabat sc. ante fores cubiculi. Aut lege: *in domo.* Nam soli Calpurniae datum erat secretum.

Ann. XII, 33 sed tum astu locorum fraude prior — novissimum casum experitur. Legendum censeo: *sed tum fastu — experitur.* Quippe Caratacus ipse (c. 37) se ex tam amplo statu concidisse confitetur propter suam rerum

prosperarum immoderationem. — Infra pro *tunc montibus arduis* malim *tuetur (tuet) montibus arduis* sc. suos *et — praestruit.*

Ann. XIII, 14 inde vilis rursus Burrus et exul Seneca. At M. *indebilis.* Lips. *inde debilis;* perperam. Provocat Agrippina ad *originem* et suam et illorum; quapropter lege: *inde pelice ortus Burrus.*

Ann. XIII, 17 facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant. Non capio *etiam.* Suspicor: *inertium (ietium).*

Ann. XIII, 42 omnia potius toleraturum quam veterem ac domi partam dignationem subitae felicitati submitteret. Ita plerique ex Jac. Gronovii conjectura. Codex: *ac dō;* quod puto scriptum fuisse in archetypo aliquo AC ꝚŌ et solvo: *ac Romano.* Quippe *subita felicitas* est Senecae *exulis,* Corduba oriundi; et gloriatur homo in artibus *Romanis.*

Ann. XIII, 55. Scribendum erit: *servarent sane receptus gregibus inter hominum arva.* Nam etiamsi Tacito liceat, Bojocalo non licet, tam ingeniosa brevitate, qua post Freinsh. vult Doederlinus, dicere: *inter hominum famem!* Cod. *famam.* Fuit fortasse corruptionis scala haec: *arva, harua,* postremo *fama,* tanto libentius littera *h* pro *f* accepta, si *m* ex sequenti huic voc. *(haruam)* arrepserat. cf. II, 64 *arva* oppos. *incultum.*

Ann. XIV, 5 visum dehinc remigibus unum in latus inclinare. Male me habet *remigibus;* his enim quis credat rem tanti momenti commissam esse? Suspicor, aliquando fuisse scriptum: *remiōībus unā in litus,* et hinc restituendum esse: *remis omnibus una in litus inclinare.*

Ann. XIV, 7 nisi quid Burrus et Seneca expergens. Corruptum hoc. Corrige: *ex re censerent.* Consilium Nero postulaverat, nihil ultra. cf. I, 24 *ex re consulturum.* Facilis emendatio ex hac scriptura: EXREGENS. — Paullo infra legendum puto: *hactenus perrumpit ut respiceret Burrum ac sciscitaretur.* Perrumpit *(silentium* sc.), non promptum consilium Caesari ipsi daturus sed *hactenus,* ut etc. *Perrum-*

pit ut compendio corruptum est in *prumpitut*, unde factum *promptius*.

Ann. XIV, 26 quosque nobis ab $\overset{ge}{re}$ *aninis cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus.* Ita M. Halmius *aversos animis.* Haud scio an praestet legere: *abseqia uinis* i. e. *obsequio fines cognoverat.*

Ann. XIV, 51 flagitia, adulteria . quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat. Quid? si legamus: *adulterans* (sc. illud imperium) *quippe Caesar etc.?*

Ann. XIV, 54. Lege: *superest tibi robur et tot per annos usus in fastigii regimen* pro *visum fastigii reg.* Flagitat hoc sententia magno clamore. Paullo post commode leges: *possumus seniores amici quiete res publicas ponere (res p. ponere* genuit *responere, respondere).*

Ann. XIV, 57. Suadeo ut legas *praesenti foro* pro *praesentiora.* Melius hoc ad illud *utcunque caveri* et ad Tigellini malas artes quadrare videtur, quam *praesenti opera* vel *ope* vel *cura.* Innuit autem, absente foro vim inferendam Plauto.

Ann. XV, 12. Scribendum videtur: *quod illud et quantum decus, ubi par eorum numero capesseretur* sc. decus. Cf. XI, 16 *gentile decus capesseret.*

Ann. XV, 54 quibusque sistitur sanguis partiebatq; eundem Milichum monet. In mentem venit aut *paret exacte* aut *per artem exacta eund. Mil. monet.*

Ann. XV, 35 scribe fortiter: *in rebus novis esse . quin eum habere.* Nam dittographia est *nobiles* ex *novis esse.* — Item XVI, 2 ex *missis uisoribus* fortasse eliciendum *missis urbe.*

Ann. XV, 74. Locum paene conclamatum ita restituere conor: Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito, *quum huic jam* (aut *tamen) ad omen funesti exitus verteretur.* Dittographia enim inesse in cod. verbis haec videtur *ado men ado lum.*

Ann. XVI, 21. Cod. *ludis cetastis.* Seyffertus: *ludis vetustis.* At supervacanea haec admonitio. Malim: *ludis Martis* et mihi persuaserim, syllabam *cet* nasci potuisse ex littera *M* paullo ornatius aut negligentius exarata. Cf. Virgil. I, 247 sqq. Antenorem Patavii *arma fixisse Troia.* Et fuit Thrasea Martis ¡alumnus, vir strenuus ac severis moribus, exercitibus curae habitus.

Hist. I, 89 legendum putaverim: *tantum pacis adversa rei publicae perniciem movere* pro corrupta cod. script. *pertimuere.* Facilior haec emendatio, quam quod Thomas*) voluit *perniciei fuere.*

Hist. III, 62 neque absurdus ingenio, famam urbanitatis per lasciviam peteret. Thomas: *qui — peteret.* Praestat fortasse: *petens.*

Hist. IV, 4. Confido scribendum esse: *prompsit sententiam ut honorificam in bonum principem, in falsum acerbam;* pro *principem . . . falsa aberant.*

Hist. IV, 5. In graviori mendo, quam plerique praesumunt, cubat locus; quem suadeo sic emendes: *Helvidius Priscus egregios natales caret; nam e municipio Cluvia, patre qui — duxisset, ingenium inlustre dedit etc.* cf. Hist. I, 49 *natalium claritas.* II, 86 *Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus.* Ann. XI, 21 *natalium decus.* De Cluvia cf. Liv. IX, 31.

Agric. 34. non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissime res et extremo metu corpore defixere aciem. Ita *Vab.* Quem locum, mea quidem sententia, neque Wexius persanavit neque Bezzenbergerus. Suspicor: *non vis in iis est, set extremo metu ac torpore defixere aciem etc.* Flagitare haec videtur sententiarum concinna oppositio.

Agric. 37. Prae ceteris conjecturis magis placet legere: *postquam silvis appropinquaverunt, in tempore (ītemp̄) primos sequentium, incautos, collecti et locorum gnari cir-*

---

*) Münchn. Gel. Anz. 1850. Nr. 42.

cumveniebant. Respondent inter se *collecti primis* sequentium i. e. singulis, dispersis; *locorum gnari incautis.*

Agric. 41. Lege: *comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia* (sc. Agricolae coacta) et *formidine rerum* (i. e. rebus formidolosis).

Germ. 3. Vide an pro *haec quoque* legendum sit: *sunt illis saeva quoque carmina.*

Dial. 27. Verba *plane mitior et* pro corruptis haud dubie sunt habenda; *iratus* autem secundo loco dittographia est, priori loco idem vocabulum *m* attraxit ex fine praecedentis. Fortasse commode legas: *causas exquirimus, quas te solitum tractare paullo ante prompsisti, non ita eloquentiae temporum nostrorum iratus, antequam etc.*

Sed jam satis superque. Habeant haec quoque optata magis quam disputata fortunam sociam comitemque, ut in iis deprehendantur, quae ad restituendam illius scriptoris manum faciant, qui prae aliis ut immortalitatem nominis, ita integritatem librorum meruit.

Ad confirmandam autem eam, quam de Ann. I, 28 tulimus, sententiam locum non possumus hic non adjicere, quem fors interim obtulit, quique maxime in rem esse videatur. Confer enim Caes. b. c. III, 10. *satis esse magna utrimque commoda accepta, quae pro disciplina et praeceptis habere possent, ut reliquos casus timerent.*

Et vide quae ibi aliis allatis exemplis consueta sagacitate de adj. *reliquo,* sensu futurorum intelligendo, adnotavit Heldius, vir insigni laude florens, qui mihi in primis grato pioque animo venerandus est.

Quo quidem viro et humanissimo et doctissimo honoris causa nominato ac verecunde salutato hanc jam opellam, tanquam bono faustoque omine prodituram, benevolis aequisque judicibus commendo.

Tabula locorum emendatorum.

END